A
f :47.
A.f.47
Sf38

AA.g.26.

CONSVALIA,

HOC EST:

DE CONCILIIS, CONSILIARIIS ET CONSILIIS,

DOCTRINA POLITICA.

IPSA EXPERIENTIA, SAPIENTUMQUE virorum teſtimoniis concinnata.

BONORVM CONSILIORVM SVMMO DATORI, IMPERATORIS, REGVM ET PRINCIPVM Imperatori, Regi & Principi: Vniuerſarum rerum exiſtentium bono Autori, ſapienti Rectori, potenti Seruatori, optimo illi Conſultori: Deo noſtro timoris, honoris & amoris cauſa oblata & dedicata,

AB

HIERONYMO ELVERO

INVICTISSIMORVM IMPERATORVM, QVONDAM Diui Matthiæ, & nunc Auguſtiſſimi Ferdinandi Secundi Conſiliario Imperiali Aulico.

CVM PRÆFATIONE AD IMPERATOREM, REGES ET PRINCIPES.

Et Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis, Regis Hiſpaniæ, Regis Franciæ, & Archiducis Auſtriæ Alberti, ad decennium.

Vr

Francofurti, apud Ioannem Theobaldum Schönwetterum.

ANNO M. DC. XX.

IMPERATORI, REGIBVS ET PRINCIPIBVS

Salutem dicit

HIERONYMVS ELVERVS.

DIVINA *veſtra dignitas eſt, inuictiſſime Imperator, ſereniſſimi Reges & potentiſſimi Princeps, ingens veſtrum munus eſt, & curioſa veſtra cura. Atque vt clarius, quid ſentiam, promam: Imperatorem, Reges & Principes generi humano à Deo dari, aio, vt in hiſce terris eius vice fungantur, quibus pareant populi, & quos tanquam terreſtres Deos venerentur nationes. Hoc ab omni æuo gentes intelligentes, Principes litationibus & ſacrificiis à Deo petendos eſſe, dixerunt. Quare Samnius Ægyptius Philoſophus, omnes homines ſub Dei imperio eſſe docuit, atque idcirco mortalibus imperitare, populos regere & principatum inter homines gerere, diuinum quoddam munus, diuinamque dignitatem eſſe, rationibus euicit. Veriſſimis quoque argumentis demonſtrabat inclytus ille Philoſophus: Deum communem hominibus parentem eſſe, verum iure quodam veluti filios ſibi adoptare*

ptare illos, quibus imperandi poteſtatem permitteret, regendique frena & habenas largiretur. Hoc ipſum haud ignorauit acutus & optumus Hiſtoricus Cornelius Tacitus: Principibus, ait ille, ſummum rerum iudicium Dij dederunt: ſubditis obſequi gloria relicta eſt.

Neque neſciuit Poeta Callimachus cum pie & prudenter ſic ſcribit: Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. *Ex Ioue ſunt Reges. Vidit hoc mentis oculis Iulius Cæſar; Naturam duas neceſſarias res, eaſdemque ſalutares humano generi comparaſſe, aſſeuerat, vt alij cum imperio eſſent, alij ei ſubiicerentur, nihil eſſe, quod citra hæc ne minimo quidem queat perdurare ſpatio.*

Et teſtatur Tullius: Nihil tam aptum eſſe ad ius conditionemque naturæ, quam imperium: ſine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poſſit. Sic eſt, terrarum orbis Moderatores Optimi Maximi, ſicut vnus Deus eſt, qui vniuerſam creatam machinam & maſſam regit & moderatur: ita in terrarum orbem velut curatores, vicarios, vice Deos vos miſit & cõſtituit, qui eum gubernetis, tueamini & adminiſtretis. Has ob rationes veſtram dignitatem non immerito diuinam & veſtrum munus ingens, & curioſam veſtram dixi curam: Quid porro inter mortales maius, curioſius, addo difficilius & ponderoſius onus, quam vnum mortalem hominem magnum populum ſemper diſcordem, ſem-

per

per tumultuantem rectæ rationis freno regere, eundem ſub obedientiæ iugum fœliciter redigere, leges condere, eaſdemque ſeruare & defendere, Rempublicam pace belloque moderari & tueri? O quam multis virtutibus, multiſque viribus opus eſt, quibus veluti anchoris reipublicæ naue n inter tot horribiles procelloſos frementes & naufragos fluctus natantem & nutantem firmetis! Inter vires & virtutes illas præcipua eſt Religio & Pietas, cæterarum virtutum omnium Regina, fons & mater. Vt ſcilicet de Deo recte ſentiatis, rectum ei cultum exhibeatis. Adde quod ſubditi viuo veſtro exemplo magis quam edictis pij reddantur. Si pij eſtis, & ipſi pij erunt, ſi improbi, & ipſi. Quare merito vitam Principis cum Plinio perpetuam cenſuram dico, ad quam dirigimur, ad quam conuertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo.

Componitur orbis

Regis ad Exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Quia exaſperat homines, teſte Plinio, exaſperata correctio, blandiſſime iubemur exemplo. Flexiles quamcunque in partem ducimur à principe, atque, vt ita dicam, ſequaces ſumus. Duci natura mauult, quam cogi. Obſequium in Principem, ait Tacitus, & æmulãdi amor validiora,

quam pœna ex legibus. Et Quintilianus: Hæc conditio Principum, vt quicquid faciant, præcipere videantur. Paterculus: Recte facere, inquit, Princeps ciues ſuos, faciendo, docet. Atque atteſtante Cicerone & quotidiana experientia, vitia non ſolum ipſi Principes concipiunt; ſed etiam in ciuitatem infundunt: pluſque exemplo quam peccato nocent. O fœlicem rempublicam, vbi & Princeps & ſubditi pietati ſtudent! Siquidem colentibus Deum & pie viuentibus omnia proſpere eueniunt.

Habet namque pietas, vt Apoſtolus ſcribit, promiſſionem huius & futuræ vitæ: contra irreligioſi, impij ſiue praue religioſi grauiter puniuntur: Id in Iſraelitarum Regum libris eſt legere: vbi Spiritus Dei ad Salomonem ethnicarum mulierum idola venerantem ſic loquitur: Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiuiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem, quam elegi. O notabile exemplum! Attendite Imperator, Reges, Principes, in cor immittite, & pij religioſique eſſe ſumme ſtudete! Sequitur Pietatem, iuſtitia, ſine qua nullum imperium, nulla Reſpublica ſtare diu adminiſtrarive poteſt.

Τὰς ἀνδρῶν ἀγορὰς ἥδε λύει, ἥδε καθίζει.

Hoc cœtus hominum ſoluit, iungitque viciſſim.

Ideoq; ſapientiſſimus Philoſophus Plato Iuſtitiam appellat ἕρμα πόλεων, *hoc eſt: fulcrum Ciuitatum.*

Hac vna Reges ol m ſunt ſine creati,

Dicere ius populis, iniuſtaque tollere facta.

Quod ſine anima homo, id Princeps ſine iuſtitia Philoſophis dicitur: ſiquidem remota iuſtitia, regna non regna, ſed latrocinia vocitent. Et teſtatur Plutarchus, omnes priſcos ſapientes docuiſſe: abſque iuſtitia principatum gerere, ne Iouem ipſum poſſe. Tanta huius virtutis vis eſt, aſſeuerante Tullio, vt nec ij quidem qui ſcelere ac maleficio paſcuntur, poßint ſine vlla particula iuſtitiæ viuere. Iuſtitia, teſte Caßiodoro, nec patrem, nec matrem nouit, perſonam non accipit, Deum imitatur. Maxima Principis gloria eſt, querelas pauperum clementer accipere, afflictis ſuccurrere, & opprimentes opprimere. Quare prudenter ait Xenophon: ἐγὼ δὲ οὐδὲν νομίζω γε ἀνδρὶ, ἄλλως τε καὶ ἄρχοντι, κάλλιον εἶναι κτῆμα οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης. *Ego vero, nullas opes viro, ac præſertim Principi, pulchriores honeſtioreſque cenſeo, quam Virtutem & Iuſtitiam. Et D. Auguſtinus ſic ſcribere non erubeſcit: Pietate & Iuſtitia Principes dii fiunt. Iuſtitiam itaque vos, qui ei præeſtis, ſeruate tum in vobiſmet ipſis, tum in aliis, ex ſacris literis, ex recta ratione, & ex præſcripto legum hauſtam! Huic virtuti à latere eſt mitis & mollis illa Nympha Clementia; quæ eſt*

virtus

virtus in pœnis conſtituendis iram moderans, & ad lenitatem cum ſummo rectoque iudicio inclinans. Hæc neminem magis, quam vos Imperatorem, Reges & Principes decet. Nihil eſt tam peculiare, ſcribit Imperator Iuſtinianus, Imperialis Maieſtatis, quam clementia & humanitas, per quam ſolam Dei ſeruatur imitatio. Et videtur Rerumpublicarũ gubernatoribus gladius datus eſſe, non tam vt eo vtantur, quam vt minentur & terreant.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros:
Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hac cœlum via.

Clementia itaque merito Principibus commendanda, ſed commendanda cum temperie: quapropter dixi ſupra: cum ſummo rectoque iudicio: quia abſque illo, vitium eſt, haud virtus. O prudentem Principem qui clementiam auſteritate, & auſteritatem clementia cum iudicio miſcere bene didicit! Porro magni & fortis animi eſſe debent Rerumpublicarum rectores: vt ſcilicet cordato & forti animo ea, quæ gerenda ſunt, expediant: ſic ſedulitas, diligentia & vigilantia nihil aliud eſt, quam fortitudo, quæ propoſitum honeſtum pro viribus vrget, donec officio ſatisfiat. Fortitudo inſuper mouet Principes, vt animum à fraudibus, dolis & fallaciis deflectant, & ſe firment aduerſus metum & dolorem, voluptates & blanditias negligant, & affe-

ctus

ſtus vincant. Hoc eſt, ait Philoſophus Romanus; præcipuum, poſſe læto animo aduerſa tolerare: quicquid acciderit, ſic ferre, quaſi tibi volueris accidere. Debuiſſes enim velle, ſi ſciſſes, omnia ex decreto Dei fieri. Omnibus mortalibus commendanda & prædicanda hæc virtus eſt, ac maxime viro Principi, cuius præcipue eſt, ſupra omnia, vt iterum Philoſophus ait, quæ contingunt, eminentē eſſe, imperturbatum, intrepidum, aſperis blandiſque pariter inuictū. Non læta extollant animum, nec triſtia frangant. Sic eſto: omnis Reipub. moderator fortis ſit. Eſto & temperans, cupiditates animi & corporis moderari ſciat. Si hiſtorias euoluero, reperturum me ſcio: voluptates im̄odicas & intēperantiam caſib. & ruinis Rerumpublicarum & imperiorū ſæpiſſime initium attuliſſe. Abſente temperantia & furente intemperantia prudentiā cæcari, robur frangi, iuſtitiam corrumpi, & cæteras ex hiſce promanantes virtutes vigorē amittere experimur. Principis intemperantia exempli congione bonos populi mores corrumpit, & Rempublicam tanquam venenum inficit, & viribus denudat & ſpoliat. Hinc eſt quod Valerius Maximus ait; Luxuriam inuictū armis Haunibalem illecebris ſuis complexam vincendum Romano militi tradidiſſe: illam vigilantiſſimum Ducem, illam exercitum acerrimum, dapib. largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vſu laſciuiore, ad ſomnum & delicias euocaſſe, atq; Punicam ferocitatem ſic fractam ac contuſam fuiſſe; additque: Quid his ergo vitijs

fœdius? quid etiam damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, quæſita gloria in infamiam conuertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnantur, adeo vt neſcias ab hoſtibus, an ab illis, capi pernicioſius ſit. Quare temperantiæ ſtudeat omnis Princeps: quæ docet effrenatis voluptatibus blandiſſimis & deterrimis dominis modũ adhibere, frenumq; inijcere, & quod nimium & vitioſum eſt reſtringere & moderari. Sit itaq; temperans omnis Reip. Rector, ſit modeſtus, ſit ſobrius, ſit caſtus, ſit verax, ſit candidus, ſit taciturnus, ſit comis, ſit conſtans, ſit patiens, ſit liberalis, ſit pacificus, ſit beneuolus, ſit affabilis, ſit humanus. Splendidis virtutum omnium ornamentis decoratus, niuea probitate candidus, & candidis moribus niueus, clarus & conſpicuus ſit, & ſapientiæ & prudentiæ luce conſpicabilis. Poſſem hunc de virtutibus ſermonẽ longius texere, & mille rerum argumentis extendere atq; probare, omnino opus habere omnib. & ſingulis hiſce virtutib. Imperatorẽ, Reges & Principes; ſed frenanda cupiditas, & cohibendus ſtylus. Quare reliquis virtutib. ſepoſitis, prudẽtiæ telã tantum tangam, atq; orationis pectine percurram. Philoſophorũ Princeps Ariſtoteles Prudentiam cœterarũ omnium virtutum moderatricẽ & directricẽ vocat, quippe quæ præit atq; ad rectè faciendũ rectè ducit, quæ præſentia ordinat, q̃ futura prouidet, quæ p̃terita recordatur, quæ infirma corroborat, q̃ dilapſa reparat & reſtaurat. Quid fugiendum aut ſequendum ſit Prudentia docet: Itaq; bonorũ conſiliorum inuentrix & Reip. fœlicitatis, Dei auxilio, pro-

creatrix & moderatrix, nec non actionũ Regina, rerum agendarum trutina, appetendarum & fugiendarum ſcientia, viuendi ars, ſalutis medicina, vitæ lux, actionum dux, & cæterarũ virtutũ Magiſtra nõ imerito appellari põt. Diiudicat hæc virt⁹ q̄d turpe ſit, quid honeſtũ, quid conueniens, q̄d inconueniens, quid ſequendũ diligendo, quid fugiendum reijciendo: Quid agendũ, aut quid omittendum, rerum circumſtantiis diſcuſſis rationis moderamine p̄ſcribit prudentia, & bona à malis, vtilia à noxiis diſcernit. Architectis, (inquit Lipſius) op⁹ nullum recte proceſſerit, ſine libella & linea: non item nobis ſine norma hac directrice: q̄ definio, intellectum & dilectum rerum, q̄ publice priuatimq; fugiendæ aut appetendæ. Hinc eſt, quod prudentia oculus practicus dicitur. Et Philoſophus prudentiam ὄμμα τῆς ψυχῆς, *id eſt, oculum animæ, nuncupat; quod ſcilicet oĩa videat, q̄ intellectũ & delectum habeat, q̄ & publice & priuatim aut honeſta & vtilia, aut inhoneſta & noxia; q̄ aut fugienda aut appetẽda. Quamobrẽ optime Bias dixit: prudentiã tanto cæteris virtutib. antecellere, quanto cæteris ſenſib. præſtet viſ⁹. O quã verũ hoc! ſine iſto homo cæc⁹ eſt, & ſine illa in omnib. cõſilijs cæcutit mens. Sine prudẽtia homo eſt, quaſi Cyclops amiſſo oculo. Quod n. viſ⁹ eſt in oculo, hoc prudentia eſt in animo. Quod anima eſt in homine, id prudentia eſt in mente. Scim⁹ nihil ſplendidũ ſine luce: ita in actionibus humanis nihil rectum ſine hac moderante prudentia. Vah precioſam & neceſſariam in Rerumpub. rectoribus virtutem, vitæ huma-*

na ducem & lucem, moderatricem & directricem, Prudentiam! Accedit quod in omnib. rebus, & præcipue in negotijs bellicis plus valeat prudentia, quam vires & potētia:

Vis conſilij expers mole ruit ſua.

Εὖ φρονέων θυμοῦ κρείττων ἢ φέρτερος ἐσθλοῖς.

Vis prudens animo eſt melior, quam fortis in armis.

Vnicum concilium rectum, ſcribit Euripides, magnam militum manum vincere. Antiſthenes prudētiam tutiſſimū murum dixit, quod is nec collaberetur, nec proderetur. Nec eſt, teſte Curtio, diuturna poſſeßio, in quam gladio inducimur. Ῥώμη γὰρ μετὰ φρονήσεως *ait mellitus orator,* ὠφέλησεν· ἄνευ δὲ ταύτης, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε. *Nam vis prudentiæ adiuncta, vſui eſt: ſine ea, abit magis in noxā. Ex his videre eſt, prudētiæ vſū ad oēs res humanas neceſſariū & vtilē eſſe: at maxime ad regēdā Remp. & imperādū: ſine illa infirmū eſt omne regnū, omnis Reſpublica, omne Imperium, ſine illa, dico, infirmum & nullum eſt. Difficillimū eſt fundare Remp. & abſolutā reddere; difficilius eſt fundatam conſeruare atq; tueri, labantē erigere, lapſam reſtituere, & quoſcunq; defectus reſcindere, morbidūq; Reip. corpus ſanitati reſtituere. Qui impare occipiunt, periculoſiſſimā nauigationē ſuſcipiūt, & Reip. nauē inter tot naufragas procellas, tot furibundos fluctus, & fremētes vētos; altißimos ſcopulos: ſirenes & ſyrtes latentes, atq; tot crudeles piratas hāc nauē infeſtantes, conſeruare ꝑmittunt. n tutū portū ducitur hæc Reip: nauis prudentia, & tute hac forti anchora firmatur, prudētia. Nullū animal faſtidioſius, aut moroſius eſt homine: nullaq; beſtia*

mobilior aut mutabilior beſtia illa multorum capitum, Populo. Si animalia cætera magna induſtria domamus, certe ad regendũ multiuolũ populũ opus habetis ſum̃a difficillima & ſubtiliſſima arte: populum, inquam, quo nihil ferocius, nihil impatientius, nilque magis refractarium, qui maxime nititur, vt eſt prouerbio, in vetitum, οἱ ἄνθρωποι ἐπ' οὐδενὸς μᾶλλον συνίστανται, ἢ ἐπὶ τούτους, οὓς ἂν αἰσθάνωνται ἄρχειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας: *homines in nullum magis inſurgunt, quam in eum, quem imperiũ in ſe adfectare perſentiſcunt. Hanc ob cauſam, veſtrũ eſt, ô Imperator, Reges & Principes, veſtrum eſt vigilare, ſocordiam fugere, ignauiam fugare, prudentiæ ſtudere, & mentis oculum in omnes partes iaculari. Hoc ſapientes Principes Ægyptij intelligentes, qui in Regio ſceptro oculum hieroglyphicis ſuis deſignarunt: quo docebant: in Regibus requiri oculum vigilantem & vbique proſpicientem, oculum, aio, hunc mentis, prudentiam. Prudenter igitur Rudolphus, huius nominis primus, Imperator ſymboli loco hæc verba habuit:* REGNI PRVDENTIA CVSTOS. *Enimuero quemadmodum male ſibi proſpiciet is, nec fœliciter alium duxerit, qui luminibus priuatus eſt: ita haud fœliciter prouidebit, moderabitur & gubernabit Rempub. qui hoc prudentiæ oculo deſtitutus eſt, ſed eam imprudentia deſtruet & perdet. O quam innumeris mortalibus nocet ea, cui innumeri commiſſi ſunt, imprudentia! Priuatus ſiue ſubditus homo plerumque ſibi ſoli peccat, Imperator, Reges & Principes multitudini & vnitati.*

Ἀβουλίᾳ γὰρ πολλὰ βλάπτονται βροτοί.

Imprudentia enim multum peccant homines.

Cum itaque conſtet, quod ἡ φρόνησις, ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη*: prudentia imperantis propria & vnica virtus ſit, qua ſumme Reipub. moderatores indigeant, ab Imperatoribus, Regibus & Principibus ſumma induſtria ambienda, haurienda & imbibenda eſt. Comparatur hæc prudentia politica maxime vſu & memoria. Vſu, rerum, ſcilicet, experimentis & tractatione: Memoria, hiſtoriarum cognitione & Philoſophiæ peritia. De ſe prudentia vere pronunciet: Vſus me genuit, mater me peperit memoria. Vſus valde neceſſarius eſt viro principi: Ideo ſapiens Bias legem ſanxit: Ne quis Rex eligeretur, quin decem annos in furibundo bello verſatus eſſet: quippe quod is vere pacis amans ſit, qui trucis & formidabilis belli importunitatem, miſeras miſerias & crudelitatem expertus. Ex memoria, porro, hiſtoriis, ſcilicet, & Philoſophia vobis & veſtræ Reipublicæ & imperio, quod imitemini, & quod diuerſis caſibus, belli paciſq; tempore cum iudicio applicetis, carpetis & capietis. Memoria, ſiue vita memoriæ hiſtoria, veritatis illa lux & vitæ magiſtra vſu facilior, frequentior, fuſior, locupletior & tutior eſt: Huic recte Philoſophiam ſiue ſapientiam adiunxi, quæ prudentiam promouet, virtutes exornat & animos purgat: Hæc quoque non ſolum viro Principi haurienda, verum & vſurpanda eſt. Otioſe, porro, hiſtoriarum monumentis, & Philoſophorum libris,*

(quos Alphonſus Rex, mortuos conſiliarios vocabat, quaſi nihil adulantes, ſed nudā veritatē ꝓpinantes) haud incūbendum atq; immorandū; ſed animi illis induendi ſunt, & ad vſum lectio applicāda eſt. Nil ꝓdeſt, nil iuuat cognitio, ſi actio & applicatio intermittatur. Vſus eſt efficaciſſimus, optimus & certiſſimus doctor: ſuis n. exemplis & propriis periculis diſcit: ita vt merito cum Cicerone dicere poſſim: Vſum omnium magiſtrorum præcepta ſuperare.

Non quod putas te ſcire, ſcis, ſi vſus deeſt.

Pro certo ego habeo & ſtatuo: Eruditionem ſine experientia & vſu plus officere, q̄ prodeſſe. Hanc ob cauſam filiū ſuum hæredem prudenter admonuit Jacobus Magnæ Britanniæ Rex: Debes, inquit, voluptatem capere lectione, & cognitione rerum honeſtarum: verū cum duplici cautione hac: Vt inprimis non niſi tempus illud impertias ſtudiis, q̄ à negociis ciuilibus ſupereſt: tum deinde, vt ſtudiis minus incumbas, quo ſimplicē ac nudā rerū cognitionē percipias, ſed vt idoneum te reddas muneri tuo exſequendo, reuocans ea in praxim, & vſum quæ iam ante lectione didiceris. Sic eſt, verus hiſtoriarū & bonarū artiū vſus nō in nudis verbis, ſed in optimis factis cōſiſtit. Hic vſus, verus & vtilis iſtarū vſus eſt. Abſit, ait Lipſius, vt Princeps deſideat, aut in meditatiunculis cōſeneſcat. Vt q ignē à vicino petit, nō illic hæret, ſed ablato eo domi focū ſuū accēdit: Sic capiendi à Doctrina igniculi illi prudētiæ, & ad vſū actionemq; ciui-

lem transferendi ſunt. Is demũ prudens Reipublicæ Rector eſt, qui hiſtoriis, philoſophia morali, Rerumpublicarum, legumque cognitione imbutus, & publicorum negotiorum vſu exercitatus, qui diuinarum & humanarum rerum notitiam ad artem politicam neceſſariam habet. Taceo hic innumeras vires & virtutes alias, quas in bono perfectoque Imperatore, Rege & Principe deſidero. Cum itaq; Imperator, Reges & Principes, veſtrum munus, ingens, & cura veſtra curioſa ſit, quam plurimis viribus & virtutibus ad curam hanc opus habetis, vt iis veluti clauo, Reip. nauim gubernetis, & quaſi anchoris firmetis & ſeruetis, neque ea omnes vni à Deo data, neque omnia in Republica vnus animaduertere, prouidere, mala præcauere, omniaque negotia expedire, nec maximam hanc curarum molem vnus ſuſtinere valet; adiutoribus opus eſt; & adſumendi ſunt prudentes, qui Reipublicæ ſummo Rectori & moderatori adminiculentur. De iſtac re in hac mea diſſertatione, ſiue cum Principe meo colloquio egi, & hæc docens demonſtraui, quod ſcilicet concilia, Conſiliarij & conſilia Rerumpublicarum Rectoribus ſumme neceſſaria & vtilia ſint. Deinde, quot & qualia concilia eſſe debeant. Tertio, Quibus animi corporiſque qualitatibus conſiliarios præditos eſſe oporteat. Quarto, Quid in conſiliarij electione obſeruandum ſit. Quinto, Qui deliberandum, & quid in conſultationibus notandum, qui ſcopus aut finis in iiſdem & Principi & conſiliarijs proponendus. Sexto, quomodo

Prin-

Princeps conſilia amplecti, ſeque erga conſiliarios ſuos gerere debeat. Cauſa quæ huc me mouit, vt de concilijs, conſiliariis, & conſiliis diſſertationem typis diuulgarim, fuit ipſius Principis mei, cum quo de concilijs conſtituendis diſſerui, volentia & adhortatio. Is enim ſuperiori anno me ex Anglia in Germaniam reuertentem & per ſuarum regionum metropolim euntem ad prandium inuitabat, & de hac re vt verba cum illo commutarem, benignis & blandis verbis incitabat. Dein idem Dantiſcum appulſo clementes mihi ſcripſit literas Princeps, atque illud, quod coram dixeram, vt in chartas conijcerem flagitabat. Hoc à me impetrato, ſecundis literis vt publici iuris facerem, adhortabatur. Tandem hærenti in propoſito tertia vice calcaria addit. Voluntati demũ optimi & literatiſſimi Principis morem, gerens, deſiderium effectui reddidi. Nudum itaque ingenij meditationumque & principis mei, & mearum partum, eodem ordine & methodo (aliquot ſubinde adiectis ſapientum ſententiis) vt è mei Principis proprijſque meis labiis elabatur, nunc diuulgo. At in quem finem? Non vt vos Imperator, Reges & Principes, vos, qui concilia veſtra cõſtituere, & qui conſultare oporteat, doceam. Non me hercle, non quippe, qui in hac politica ſcientia me longe peritiores & prudentiores eſtis: Sed potius hæc ideo promſi, vt veſtris chariſſimis filiis, aut in Academiis bonis artibus adhuc operam nauantibus, aut in poſterum nauaturis huius partis prudentiæ politicæ primas lineas ducerem, & iſti lectione

 addi-

addiſcerent, quod olim ipſis vſui eſſe poßit. Deinde, vt noſtri temporis doctoribus politicis hanc Philoſophiæ practicæ partem clarius & perfectius, quam antehac factum, enucleandi, deducendi & docendi anſam præberem. Hæc libamina, ſi vni iuueni Principi adhuc in Muſarum ſacris operanti, ſiue alij cuicunque bonarum literarum fideliſſimo militi grata & accepta, ſiue aliqua in re vtilia fuerint, ſatis & ex voto mihi litatum cenſebo. Æternum valete noſtri ſeculi Decora & Lumina, inuictiſſimi Imperator, Sereniſſimi Reges, & potentißimi Principes. Scribebatur in maximo totius Septentri-oorientis Emporio, Dantiſci. Anno 1617. Menſe Maio.

CONSVALIA.

Hoc eſt:

DE CONCILIIS, CONSILIARIIS ET CONSILIIS.

Doctrina Politica.

EX IPSA EXPERIENTIA, SAPIENTVMque virorum teſtimoniis concinnata.

SVPERIORI anno, cum ex Itinere Anglico, per Germaniam domum reuertebar Menſe Maio, in ſuperbis ædibus ſplendentem vrbem N. diuerti, ibi amicum quendam meum, Secretarii munere apud illius Regionis Principem fungentem, reperi; hunc inuiſi, cum eo ad Cœnam diſcubui, & guſtatione opipera initiati, variis de rebus lætis ſermonibus garriuimus, atque ſic noſtram olim Romæ conglutinatam amicitiam corroborauimus; iucunda namq; iſta conuerſatio, tanquam nouum glutinum liquidius fidiusque nos iunxit. *Occaſio & ingreſſio huius diſſertationis.*

Deinde in ſtratis lectis coniecti, lætitia laſſi, in ſomnum labamus. Die ſequenti, ſummo mane, more ſuo, Secretarius Principis cõclaue adit, negotia ſua peragit, & me in vrbem appuliſſe Principi dicit. Princeps eundem hunc ſecretarium, equitemque vnum me clementer & ſalutatum, & in hortum ad prandium inuitatum mittit: His ducibus aulam Principis accedebam, hortum intrabam, Principem obuiam mihi veniẽtem ſubmiſſe ſalutabã, eiuſdem manus oſculabar, genua amplectebar, eiq; promptiſſima mea officia offerebam. Optumus ille Princeps manum meam præhendit atque ad menſam ſplendidiſſime ſub dio apparatam lautiſſimeque inſtructam benigne ducit. Edimus, bibimus, & ſimul variis de rebus ad prolixam voluptatem philoſophamur. *Deſcriptio amœniſſimi horti.* Finito prandio per floridum & odoriferum hortum hinc inde ſpaciabamur; & ſub patulis & ramoſis arboribus ſparſim conſitis, gratiſſimam vmbram nobis præbentibus, errabamus. Ego cum medio in horto cupidos oculos læto, curioſo & vago aſpectu, circumtuliſſem, admiratus ſum loci elegantiam, cultum, ſtudium & ſumptus, quos Princeps impenderat: Aderant diuerſa ædificia ad voluptatem ſtructa: nec deerant fonticuli ſaluberrimis aquis amæniſſime ſcatentes,

quibus

quibus nihil feſtiuius herbis, arboribus, auiculis hominibuſque aduerſus æſtum promittentibus refrigerium & ſolatium: Ebullientes illæ aquulæ hortum percurrebant querulo ſtrepitu quaſi anxiæ, quo curſum flecterent. Vernabat, ridebatque tota illa impenſo ſtudio nitide exculta amœna facies. Herbæ, arboreſque halantibus & fragrantibus floſculis abblandiebantur. Nihil natum præter odoratas pulchraſque herbas, nec eaſdem quaslibet, ſed eximias, ſed pretioſas, ſed exoticas ex Græcia, Aſia, Indiaque apportatas. Nihil non aut agere aut loqui aliquid, aut arridere videbatur. Tanta horti pulchritudo, tam admiranda amœnitas, tamque varia florum varietas, fragrantia & nitor, tam inſuper amabilis auicularum ſub comantibus & criſpis frondibus concentus, hirundinumque garrulitates erant, vt cõtemplantem, auſcultantem, odoremque ſentientem ſtupefacerent. Dum locum contemplor, geniumque horti admiror, omnia ruminor, ſingula rimor, pene me ſenſus reliquerant; tanta dulcedo & gaudium animum inuaſerat, tantum cor commouerat; vt vix os aperire, linguam mouere & cum Principe loqui poſſem; vbique enim erat, quod tacite mirabar. Dulce & iucundum mihi erat religioſo ſilentio errantibus oculis

obuia intueri, & flores naribus pariter & luminibus admouere, vtrumq; ſenſum ſumma delectatione permulcere. Tandē lingua prorupi, & Principem aſpiciens, alta voce, O Princeps optume, quæ hæc elegantia eſt? inquam, quæ amœnitas? qui ſplendor & nitor? quis halitus? Campi Eliſij haud comparandi cū hoc horto. Ecce, quā apte, quam ordine, quam venuſte omnia poſita & diſpoſita? ecce quæ protuberantium florum & arborum, quę fruticū & odorū varietas, copia, nouitas? Locus cœleſtis hic mihi eſt, haud terreſtris.

Exculſorum hortulorum verus vſus. At Princeps ſubridens, manumq; mihi blande premens, vultu alacri, hic parum ad hos floſculos te ſiſte, inquit, Eluere, quæſo, & quî hoc horto vtar percipe: Et ipſe hortum hunc, hanc, inquam, floridam, amœnam, purpuream q; Nymphā amo, ſed nō vt pleriq; ſolent, immoderatius. Externa mitto, in interna ingro. Nec ſum ex eorū numero, q. totos dies in hortis obambulant, ſedent, potāt, edunt, oſcitant, ſtertūt: hortos illi nō ocij ſui ſeceſſum, ſed deſidiæ & pigritiæ habēt ſepulchrū & vitiorū puluinariū. Ego peractis q̄ agenda, aulam exeo, atq; ad hæc loca gramine induta, & florum purpura læte depicta, iam compoſito die, me confero; & ſic triſtiora & grauiora negotia, humanioribus & lætioribus, lætiſſimis, in-

quam,

quam, de diuite rerum Natura meditationibus diſtinguo, animumque ſeucrioribus curis laſſum recreo. Sic non-otioſe otium meum tranſigo, ſed negotium in otio reperio; cum herbis, floribus & arboribus colloquor. Non mutæ illæ, ſed loquaces & garrulæ ſunt. Docent iſtæ herbulæ Dei ſapientiam & potentiam, magnamque matrem Naturam ſumme commendant, nõ ſecus ac creaturæ reliquæ, ſydera, animalia, lapides, metalla, flumina: quinimo generum numerus illorum vix eſt tantus, quantus herbarum: Adiice, quod in herbis magis eluceſcat Dei prouidentia; en mortalium debilitates, languores, morbos; his ex herbis remedia! incolumitas inſuper herbis & ſeruatur & redditur. Hæc cum dixiſſet Princeps, voce & vultu triſtior, & reſpice, inquit, mi Eluere hunc florem naſcentem, reſpice quæſo illum morientem: hæc ſpecto: hæc mihi applico, & cum Plauto religioſe ſæpe admurmuro:

Quaſi ſolſtitialis herba paulisper frui.
Repentine exortus ſum, repentino occidi.

Talis ecce omnis homo. Et cum Propheta acclamo: *Omnis caro fœnum!* Sermonis pauſam hic aliquam fecit optumus Princeps & ſuſpirauit;

 dein,

dein, ad me, vt reſtans huius lucelli pars, inquit, nobis iucundè & vtiliter tranſeat, atque ab omni æſtu liberi ſimus, in proximam vallem deſcendamus. Nemoroſus is locus erat, arborumq; opacitate amabilis & frigidus: ibi amænitatis gratia caſulam feſtiue belleque ædificatam intramus, quam fontes exigui leniter obmurmurantes circumſtrepebant. Tota illa reducta & ſecreta vallis voluptati, honeſtæ recreationi, iucundiſq; meditationibus dicata, conſecrataq; erat, & paſcendis oculis, & reficiendis narib. & refocillandis animis. Ipſa loci opacitas & auicularum concentus, & præ cœteris ſibilans philomela dulci gemitu, illuc deſcendere etiam nolentem & reluctantem inuitaſſet.

In horto ſedentis de re politica cum principe varij. & præcipue de conciliis, conſiliariis & conſiliis authoris ſermones.

In ſellis ibidem ſplendidiſſimis ſedebamus, atque in tam amæno ſeceſſu pluribus de rebus ad hortos & villas, dein etiam ad ſtatum politicum, regendumq; populum pertinentibus ſermones noſtros miſcuimus. De conciliis, Conſiliariis & conſiliis Principum præcipue diſſerebamus. De hac re nunc (cœteris ſilentij ſyphariis inuolutis) ſcriptionis noſtræ filum ducemus. In illa, vt ſupradixi, caſula voluptatis ergo in vmbroſa & frõdoſa valle ſtructa, loco certe ſapienti ſermocinationi aptiſſimo cubantes de conciliis, conſiliariis

&com-

& cõſiliis ſermonẽ habebamus. Caſula illa nobis velut templum erat, & menſula ea tanquam ara, ad quam ſedentes rite fecimus diuæ ſapientiæ. Concilia cum paulum ſermone libaueram, Princeps velut eo excitatus, te, mi Eluere, quæſo, inquit, clariorem facẽ mihi accende, vt quæ de hac re tua ſit ſententia plane pleneq; capiam, nec me relinque in obſcuro: Ardore æſtuo, modico ſermonis potu ſitim foues, nõ leuas; ſermocinationis tuæ liquorem, cuius pauculæ ſtillæ mihi palatum irritarunt, diutius deguſtare cupio: Pro bono vtilique facturus es, ſi oratonis telum longius duxeris. Interuallo hîc aliquo ſermonis interiecto: & bene eſt, inquam, vberius de hac re grauiſſima dicam, & ſententiam meam apertius promam.

Sequentis diſſertationis partitio ſiue diuiſio.

Ne tamen vaga, errans, & libera nimis oratio mea ſit, ſed adductis (vt dicitur) habenis maneam in hoc gyro, in hoc carcere & circino, hoc ordine dicam: Primo de concilij, conſiliariorum, conſiliorumque neceſſitate & vtilitate. Secundo, quot & qualia concilia eſſe debeant. Tertio quibus animi corporiſque qualitatibus conſiliarium præditum eſſe oporteat. Quarto, de conſiliarij electione. Quinto, de ipſa conſultatione & conſiliis, conſiliorumq;

rumque fine. Sexto, quomodo Princeps conſilia amplecti, ſeque erga conſiliarios ſuos gerere debeat. Hunc curſum animus labiaque noſtra current; hunc circulum oratione circulabo.

Concilii, cõſiliarii & conſilii breuiſſima definitiones.

Concilium Principis legitimam congregationem ſiue cœtum appello hominum ſelectorum, qui Principi ſuo, quomodo reſpublica belli paciſque tempore bene adminiſtranda ſit, conſulunt, vt ſalus reipublicę conſeruetur. Conſiliarium perſonam voco electam idoneamque ad tale concilium, fidam, rerum peritam, pace ſiue bello ſalutaria ſuggerentem.

Conſilium cum Cicerone nuncupo, aliquid aut faciendi, aut non faciendi, rationem prudenter excogitatam.

De conciliorum, conſiliariorum & conſiliorum ſumma neceſſitate & vtilitate.

Quam neceſſarium & vtile cuiuis magno Principi, ſit concilium, ſintque conſiliarij & conſilia, Princeps sereniſſime, ipſe ſatis ſciueris.

Horũ neceſſitatem docent omnes Reſpublicæ & imperia.

Docent hoc omnes Reſpublicæ, quippe haud vllam rempublicam, vti Hiſtorici referunt, ab initio fœliciter beneque inſtitutam fuiſſe, cui haud fuerit alicuius formæ datum concilium. Sic eſt, fœlix initium habet quælibet reſpublica, quodlibet imperium ex bono conſilio, fœliciſſimumque augmentum, progreſſum & conſeruationem.

Hoc

Hoc Imperator Otto teſtatur; Quid? vos pulcherrimam inquit, vrbem hanc domibus ac tectis, & congeſtu lapidum ſtare creditis? muta iſthæc & manca intercidere, ac reparari cōtinue poſſunt. Æternitas rerum, & mea cum veſtra, ſalus, incolumitate ſenatus firmatur, idem aſſeuerat Micipſa: Non excercitus, ait, neque theſauri præſidia regni ſunt, verum amici: ſcilicet conſiliarij. Et apud Xenophontem: Οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ φίλοι πολλοὶ ἀληθέστατον σκῆπτρον βασιλεῦσιν καὶ ἀσφαλέστατον. *Non aureū iſtud ſceptrū eſt quod regnum cuſtodiat, ſed copia amicorū ea regib. ſceptrū veriſſimum tutiſſimumque.* Audiamus, Euripidem: Γνώμη γὰρ ἀνδρὸς εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις, εὖ δ' οἶκος: εἰς τ' αὖ πόλεμον ἰσχύει μέγα. Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ, σὺν ὄχλῳ δ' ἀμαθία πλέον κακόν. *Viri prudentia facit vt bene habitentur ciuitates. Itemque familiæ: & ad bella magnum eius momentum eſt: Conſilium enim ſapienter initum, multas manus vincit, imperitia vero cum multitudine deterius malum eſt. Non minorem vtilitatem adferunt*, ſcribit Tullius, *qui reipublicæ præſunt, quam qui bellum gerunt: itaque eorum conſilio ſæpe aut ſuſcepta, aut confecta bella ſunt. Quare expetenda magis eſt decernēdi ratio quam decertandi fortitudo. Parua ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi. Non viribus*, ait iterum Cicero, *aut velocitatibus aut celeritate*

Et viri ſapientes atteſtantur.

ritate corporum res magnæ geruntur: Sed conſilio & aucto-ritate. Poſtquam, inquit Saluſtius, *mihi ætas ingeniumque adoleuit: haud ferme armis atque equis corpus exercui, ſed animũ in literis: quod natura firmius erat, in laborib. habui: atque ego in ea vita, multa audiundo & legundo ita comperi, omnia regna, Ciuitates, vſque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Vbicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, poſt paulo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremo ſeruitus impoſita eſt. Vbi non ſunt prudentia conſilia*, vt ſapiens Rex ait, *ibi corruit populus.* Salus autem eſt in amplitudine conſiliarii. Irritę ſunt cogitationes, cum deeſt conſilium.

Nemo tanta prudentia præditus, vt omnia videat & curet.

Nemo tanta ſapientia & prudentia, tantaque perſpicacia præditus eſt, vt per ſe omnia perſpiciat, diiudicet, cognoſcat, & in diuerſis contrariiſque ſententiis quæ ſit verior potior & melior, intelligat, Reique publicæ ſalutariorem eligere valeat.

Quare opus eſt principi adiutoribus conſiliariis.

Adiutoribus igitur opus eſt, Princeps celſiſſime, & amicis, hoc eſt, conſiliariis, quare præcipuum Principis opus eſt, teſte Plinio, amicos parare: nullum enim maius boni imperii inſtrumentum, quam boni amici. Hoc inſtrumentum, nimirum conſilium rem ſacram eſſe, Socrates dixit: neque diuinius aliquid eſſe quo de quis con-

conſulere queat, quam de inſtitutione ſui atque ſuorum in arte gubernatoria. Cum igitur conſilio ſtant regna, reſpublicæ, vrbes, templa, aræ, domus, doctrinæ & leges, quid magis neceſſarium Principi vtileque putas, Princeps celſiſſime, quam multos habere prudentes conſiliarios, qui in negotiis ſuſceptis titubantem Principem informant, hærentem expediunt, periclitantem ſuſtentant, recte ſentientem ſententiâ confirmant.

Quippe maximum magnis Principibus onus impoſitum, vnū præeſſe plurib. vno capite capita plura regere: leges condere: eaſdemque defendere: imperium mari, terra, pace, bello, ſapienter & prudēter moderari! Res ſane, Deus bone, quā ardua! quantæ molis! Difficile ius ſuum cuique tribuere, iuſtos defendere, pœnis coercere malos; bonos beneficiis excitare; vniuerſam illam multitudinem inquietā, diſcordem, turbidam, tumultuariā, obedientiæ freno regere; & ſalutem reipublicæ conſeruare. Difficile eſt, inquam, laborioſum, tædioſum & durum imperium in homines, vt ſcilicet tot ſenſus & diſſenſus in obedientiæ gyrum redigas, quippe cum facilius ſit beluis & feris animalib. imperitare, quā hominibus: Nullum n. animal tam moroſum, vt homo eſt. Mul-

Maximũ onus eſt & res ardua imperare.

 tis

tis virtutibus,multis viribus,viriſq; opus eſt,quibus, velut anchoris reipublicæ nauis firmetur. Et vt clarius loquar in re magni momenti, repeto,& alta voce denuo dico: Multis virtutibus,multis viribus, viriſque opus eſt, vt curſum rectum & fœlicem in illo vndabundo & fluctiuago,in illo procelloſo & fallaci,in illo inquam truculento & naufrago mari teneas! Magna inſuper prudentia, magna continentia & conſtantia opus eſt, ne Princeps licentia ſeducatur, & potentia ſua in deliciis & viciis abutatur. O quam rari,quam pauci reperiuntur,qui laudabiliter & fœliciter hoc munere ſunt functi! Hoc hiſtorici teſtantur;hoc libri profitentur; hoc præterita ſecla conqueruntur;futura quoque lamentabuntur.

Cum periculo coniuncta eſt ars imperatoria.

Hinc nihil difficilius eſſe dixit Diocletianus, quam bene imperare. Taceo infortunia & mala innumera, quæ dominantium ceruicibus cottidie imminent: Quare Saturninus illos, qui imperatoria eum purpura induebant, ſic allocutus eſt: *Neſcitis amici, quid mali ſit imperare, gladij & tela noſtris ceruicibus impendent: imminent vndique haſtæ, vndique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur & formidantur.*

Si in priuatis negotiis opus habemus conſilio, multum magis in publicis.

Porro, ſi in priuatis parui momenti, vilibuſque ſæpe rebus, vt cum fundum emimus, caſulā ſtruimus ſiue reparamus, nauem ædificamus ſiue ſarcimus

cimus, amicorum conſilio vtimur, nec nobis ſufficimus, quid dubitandum, quid quærendum, an magno Principi opus ſint conſiliarij? Trahitur hæc neceſſitas ex hominis imbecillitate, quæ adminiculis indiget & auxiliis.

Hominum animi ſæpe errorum caligine inuoluti ſunt, & variis perturbationib. ita ſubmerſi, vt quid ſtatuendum, quid eligendum, quid fugiendum, neſciant. Hoc adeo verum eſt, quod ſapientiſſimo cuiuis viro (vti obſeruauimus) ſæpe opus ſit conſilio. *Hominū animi errorū caligine inuoluti.*

Rebus in arduis ſapienti,
Quid conſilij capiat, ſæpe eſt difficile.

In ſuo quiſque negotio hebetior eſt, teſte Curtio, *quam in alieno: turbida enim ſunt conſilia eorum, qui ſibi ſuadent.* Fert hoc rerum natura, mos populorum & inſtituta, vt, teſte Piricio, quiſque hominum habeat, quibus cum familiariter vtatur: quibus cum de rebus ſuis prius conſilia communicet, quam ea proferat. Quanto igitur magis principem decet habere, quibus ſe & ſuas deliberationes prius aperiat, ac viciſſim illorum ſententias audiat: quidue fieri poſſit, quid minus, de illis exploret. Hoc modo & de aliorum ſententiis rectius poſtea iudicabit; & diſſidente ſenatu, ſiue

 con-

concilio, quod ei melius & reipublicæ vtilius viſum fuerit, facilius deliget.

Conſilium in omni præeat negotio:
Conſilio aliud haud eſſe tutius poteſt.

Vt Princeps per ſe ipſum omnia ad regnum pertinẽtia haud expedit, ſed operâ auxilioq; Præſidum, gubernatorum & adminiſtratorum eget: ſic ipſe omnia cognoſcere, omnia cõpręhendere, omnia diſponere, in dubiis meliora ſine alieno conſilio eligere nequit: ſed opus habet iis, qui hac in parte Principem adminiculantur. Magna negotia magnis adiutoribus opus habent, magnoq; conſilio. Princeps igitur, qui orbis terrarũ partem aliq̃ regit, egebit adminiculis, atq; imprimis iis, â quibus maxime imperium pendet, nimirum conſiliis.

Anima Reipublicæ conſilium.

Quare Principis conciliũ & conſiliũ animam Reipublicę voco, quippe ſicut corpus ſine anima viuere nequit: ita nec rempublicam ſine concilio & conſilio. Hinc eſt qod Polycrates ſcribit, fieri non poſſe, vt Princeps rempublicam bene adminiſtret, niſi à prudentibus viris petat conſilium. Et Ariſtoteles in Epiſtola ad Alexandrum Magnum, rerum humanarum, inquit, auguſtiſſimũ eſt conſultatione vti: nam eius ope, quod melius ac vtilius ſit, inuenitur.

Omnis

Omnis prudentia humana anceps, lubrica eſt & ambigua, perpetuo fulcris & ſubſidiis eget. Perfecta ſapientia in nullo homine eſt, ſplendidus eius radius in paucis, raro in Principe reperitur, quem tamen Deus generi humano largitur; optandum igitur & orandum, vt prudentum amicorum conſiliis vtatur; ne ſtultorum & improborum hominum conuerſatione rempublicam corrumpi & opprimi patiatur: Siquidem Sapientia de ſeipſa in prouerbiorū lib. ita loquitur: *Ego Sapientia,* inquit, *habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Conſiliis Principem, non ſolum in arduis & magni momenti, ſed & in mediocribus & in minimis rebus vti oportet; nihil enim prudenti Principi quod ad Rempublicam ſpectat, minimum eſt. Cæterum, licet ſapientiæ & prudentiæ decus & ſplendor ampliſſimus, inclytuſque rerum vſus in Principe reperiatur; ſine conſiliariis tamen rempublicam fœliciter haud adminiſtrabit; tot enim, tamque variæ, ancipites & implicitæ paciſque belliqué tempore res ſeſe offerunt, & talis Princeps ſe ſolo ſuo conſilio, iis ex reb. haud explicet. Plus videre oculos, quā oculū, prouerbio dicitur. Vnis oculis omnia intueri, vnis auribus omnia audire, querelaſque

Humana prudentia anceps eſt.

omnes

omnes & ſingulas percipere, vnis manib. oĩa negotia in Republica peragere, vnum eſt ex impoſſibilibus naturæ. Et ſi quis Princeps hoc efficere ſtulte conaretur, oleum, vt aiunt, & operam, ſtudium, inquam, induſtriam, vitamque conſumet. Pauca enim aliqua vnus videt, vnus audit. At eſſe debent πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοὶ, πολλὰ ὦτα: *Multi Regis oculi, & multæ aures.* Ratio humana anguſtis finibus circumſepta, lubrica & anceps eſt, vt vnus omnia videre & perſpicere nequit; nec omnia vni in mentem veniunt, niſi ſint qui ſuggerant. Quemadmodum vnuſquiſque plus duob. oculis cernit, melius duabus auribus audit, plus negotiorum duabus manibus conficit; plus itineris & loci duobus pedibus circumit, quam vno oculo, quam vna aure, quam vna manu, & vno pede; ita Principi cui magnus ampliſsimuſq; populus commiſſus eſt, opus eſt multorum oculis, multorum auribus, multorum manibus & pedibus, hoc eſt, multorum ſapientiſſimorum virorum conſiliis & auxiliis indiget, ad res bene, ordine & fœliciter gerendas.

Nemo prudētia perfectus. Neque prudentia vlla vlli homini ita perfecta, ita plena & integra eſſe poteſt, cui non aliquid deſit, quod alterius complemento opus habeat. Quis eſt tanta, tamq; perfecta prudentia, tanta doctri-

doctrina & experientia præditus ſit, quin maiori indigeat? ſit prudentiſſimus Princeps, ſit ſapientiſſimus, plus tamen inuenire, plus addere & ſuggerere amici poſſunt.

Adde, quod ſæpe optima conſilia acuto Principi in mentem veniant, ſed venire eadem cum vacillatione ſoleant; vbi in bonis illis cõſiliis amicorum ſententiâ Princeps eſt confirmandus. Qua de cauſa Rex ſapientiſſimus Salomon: diſsipantur, inquit, cogitationes, vbi nõ eſt conſilium, vbi vero ſunt plures Conſiliarij, confirmantur. Ibi ſalus, vbi multa conſilia. Diuturna experientia perceptum eſt, inquit Bodinus; plures conſilio communicato melius ac certius quam ſingulos iudicare; Cum ſinguli quaſdam habeant virtutum particulas, quæ ſimul collatæ, vnam quandam excellentem virtutem conficiunt. In medicorum pharmacis id apertum eſt, præſertim in antidoto illo, quod Mithridaticum vocant; plures res in eo ſigillatim noxiæ vbi contemperatæ fuerint, ſalutare aduerſus venena remedium parant: Sic & in hominibus aliis tarditas & cunctatio; aliis præceps temeritas obeſt; hæ in pluribus commixtę temperamentum quoddam conſiliorum admodum ſalutare efficiunt.

Et acutus princeps conſilio eget.

Hoc huc vſque, Princeps ſereniſsime verum eſt, vt

Atq; doctiſſimus princeps conſilio indiget.

eſt, vt ſi Princeps opulentam doctrinæ ſupellectilem in cerebro habeat, eruditorumq; omnium calculis, punctiſq; doctiſſimus exſtimetur, ſi ſcientiæ ſapientiæque ſuæ fidit, atque ideo conſilium negligit, rempublicam certe haud fœliciter adminiſtrabit.

Literis, ſpreto concilio, fidens ſapiſſime Reipub: nocuit Princeps.

Hoc ſæpe accidit, vt doctrinæ ventis abripiatur, ingenio iudicioq; ſuo fidat, literis multis inſtructus & eruditione præditus Princeps. Quam obrem in hiſtoriis legimus, non nullos Principes noluiſſe filios ſuos literis operam dare, ne eruditione illa, cum ſumma poteſtate cõiuncta, nimiũ ſibi fidentes, amicorũ conſilia aſpernarentur ac repudiarent, omniaq; ad proprium lubitum, arbitrium & libidinem adminiſtrarent.

Virtus cũ doctrina coniungenda.

Niſi virtutem cum doctrina coniungat, periculoſus Reipublicæ Princeps eſt. Reipublicæ peſtis eſt Princeps multarũ ſcientiarũ cum ſcelere coniunctã habens cognitionẽ. Ῥώμη γὰρ μετὰ φρονήσεως, ait Iſocrates, ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε: *Nã vis prudentiæ adiuncta vſui eſt; ſine illa, abit magis in noxam.* Adde prudentẽ dici non poſſe, qui non ſit virtute præditus. Virtus prudentem reddit, non literæ. Nullus impius prudẽs eſt. Hanc ob rationem Ludouicus XI. Galliarum Rex filio Carolo literis interdixit, ne ſibi ſoli fideret, conſiliarios temne-

temneret, ſibique regnoque pręcipitium accerſeret. Ex his videre eſt, quemlibet Principem conſilio alieno indigere, & ſtupidum, & acutum, & rerum vſu prudentem, atq; literis exellentem.

Conſiliarij principum oculi, pedes, manus, & Reip. robora vocantur.

Alta voce aio, æque ac pane quotidiano Principem opus habere conſiliariis; hos Corn. Tacitus vocat, Pacis decus; Dio Caſſius, Principis oculos; alii Principis manus, alij pedes, alij Reipublicæ robora & optima Inſtrumenta, alij Reipublicæ rationem & mentē; Atque ideo conſiliarios appellant, quod his omnino non carere Princeps ſiue Reſpublica poſſit: His enim ſublatis, tanquam Reipublicæ concuſſis, confractis, & ademptis fundamentis, omnia ſurſum deorſumque ruunt. Sicut corpus ſine anima emoritur, & homo abſq; mente & ratione bruto & muto animali ſimillimus eſt, ita Reſpublica priuata conſilio, & vita priuatur, interit & perit.

Senatus Romanus à prudentibus imperatorib. pater eſt nominatus.

Adjice, quod prudentes Romanorum Imperatores ſenatum Romanenſem, hanc ob rationem, Patrem ſuum vocare conſueuerint.

Plus conſilia quā arma metuenda.

Et nouit Propheta & prudens Rex Dauid, plus conſilia metuenda eſſe, quam arma & tela, Deum enim ſic orabat: Stultum quæſo redde conſilium Achitophelis ō Jehoua &c.

Vis conſilij expers mole ruit ſua.

Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ.

Mens vna ſapiens, plurium vincit manus.

-------------Non ſolis viribus æquum

Credere; ſæpe acri potior prudentia dextra.

Ἡ φρόνησις, ἄρχοντος ἰδία ἀρετὴ μόνη: *Prudentia imperatio propria & vnica virtus.* Atque vt verbo dicam quid ſentiam: non magis, aio, ratio in corpore mortali neceſſaria, quam in republica conſilium.

Quiſque prudens Princeps prudentum conſilio fœliciter vſus eſt.

Porro, quiſque prudens & prouidus Princeps, in arduis præcipue negotiis, prudentum conſilio vſus, nec imprudēter quicquam aggreſſus, ſed fœliciter pleraq; ad finem & ſcopum perducit probe intelligens, prudentiora & tutiora eſſe ea conſilia, quæ â pluribus tractantur, quã quæ vnius cogitationib agitantur. Quam plurima huius teſtimonij, ex veteri memoria repetita exēpla, vt Hebræorum Ducum, Auguſti, Adriani, Veſpaſiani, Traiani aliiſq; de Imperatorib. & Principibus, quib. proba Reipublicę adminiſtratio cũ gloriâ ſucceſſit adducere poſſem: ſed q̃a viua & ſpirãtia ad oculos ſũt, ſicco pede ea pteribo. Quod Romanũ Imperiũ (vt hoc tantũ leui digito tangã) ex tantilla origine ad tantã amplitudinẽ conſilio puenerit, & ꝙ tamdiu floruerit, cauſam fuiſſe, ſcimus, ꝙ eius Rectores ſenatus cõſilia ſequuti fuerint. Ecõtra Pericles ideo Rem-

Rempublicam perdidit, q a Areopagitarũ authoritatẽ ſuſtulit: Neq; ij Principes ſalutares Reipublicæ eſſe ſolent: qui poſthabitis conſiliariis, ſolos ſeſe ſapere, ſolos oĩa intelligere & curare, & ſolos q aiunt, digito cęlũ attingere opinantur; Inani interim opinione & ſuperba pſuaſione, & ſe tandem perdunt, & Rempublicam ad interitum ducunt. Quid cauſæ extitit, vt Iacobus IV. Scotiæ Rex ad Fluidonem ab Anglis vinceretur; totam prope nobilitatem ſuam amitteret? quod Procerum ſuorum parui conſilia faceret, ipſe ſibi ſapere egregie videretur. Botuildum Sueonum Regem quid regno expulit? niſi quod nimium ſibi tribuens, cũ nemine conſilia ſua communicauit. Vnde, quod memoria dignũ Hiſtorici referunt, cum Claſſe ad fugam adornata â miniſtro ſuo forte interrogaretur: num rei alicuius in terra oblitus eſſet, reſpondit: *Nimis proh dolor, oblitus diu fui: bonorum Procerum meorum conſilia audire ac admittere: quam in obliuionem niſi incidiſſem, ſaluus iam ſalua in patria manerem, quam turbatam relinquere, nunc cogor.* Laudabile igitur, & optumo principi imitabile eſt, quod de Antonio Pio ſcribitur, quod ſcilicet nec in bellicis, nec in ciuilibus negociis, quicq̃ egerit, de quo non prius ſapientes conſuluiſſet: Æquius eſſe, dixit, vt tot talium amicorum conſilia ſequeretur, q̃ tot tales amici

mici ſuam vnius ſequerentur ſententiam. Huc referendú, quod (memini me in iuris ciuilis codice hoc olim legiſſe) Theod: & Valentin: Cœſares in quodam reſcripto ad ſenatum Rom: exararunt, ſic ſonans: *Humanum eſſe probamus, ſi quid de cætero in publica priuataque cauſa emerſerit, neceſſarium, quod formã generalem ex antiquis legibus non inſertam expoſcat, id ab omnibus antea tam Proceribus noſtri palatij, quam glorioſiſſimo cœtu veſtro, Patres conſcripti, tractari, & ſi vniuerſis tam iudicibus, quam vobis placuerit, tunc legata dictari: & ſic ea denuo collectis omnibus recenſeri: & cum omnes conſenſerint, tunc demum in ſacro noſtri numinis conſiſtorio recitari: Vt vniuerſorum conſenſus noſtræ ſerenitatis auctoritate firmetur. Scitote igitur, Patres conſcripti, non aliter in poſterum legem à noſtra clementia promulgandam, niſi ſupra dicta forma fuerit obſeruata. Bene enim cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri imperij, & ad noſtram gloriam redundare.*

Ad hanc diſſertationem exclamatio principis.

Cum hæc verba ex prænominato reſcripto recitaſſem, admirans & auſcultans, velut ſcintilla boni ignis excitatus, exclamabat Princeps, & in hæc verba prorumpit: O auguſtam, regiamque vocem! O quam optume optumi Imperatores intellexerunt, quam neceſſarium, & quam vtile ſit optumi ſenatus optumum concilium! Selectus ille & bonus ſenatus, bona conſilia bene bonis

Prin-

Principibus dedit, qui bona bonis ſuggere didicerat. Et boni bona à bonis accipientes, ſic bonis proſperiſque iſtis conſiliis, bonam Rempublicam ſartam tectamque facile ſeruarunt! Arriſit mihi hæc optumi Principis exclamatio, & ſic eſt, inquam, Sereniſſime Princeps, eximie eximij iſti Imperatores Senatui Rom. reſcripſere; hinc videre eſt, quid ſapientes Principes de ſapienti Senatu ſapienter ſenſerunt. Hos velim audiri ab illis maxime Principibus, qui ſui nimis pleni, & prudentiæ propriæ nimis tumidi amicorum negligunt & temnunt conſilia. Auſcultent iſti ſibi fidentes, ſibique placentes B. Chryſoſtomum ſic ſcribentem: *Licet*, inquit, *mirum in modum ſapiens ſis, & proſpicias ea quæ oportet, attamen homo es, & conſiliario tibi opus eſt. & nonnunquam euenit, vt ſapiens non videat, quod oportet, & minor, & hebetior clare & caute ea proſpiciat. Sapiens ille Moyſes, qui tanta miracula operatus eſt, non animaduertit rem, quam mortalium plerique conſiderant: Socer autem eius, homo barbarus & obſcurus, ſtatim animaduertit. Itaque conſiliariis omnes opus habent, etiamſi Moyſi conferri poſſint. Multa enim ſunt quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui & abiecti ſcire ſolent.* Hactenus Chryſoſtomus.

Maior adeſt, & plena duobus
Pectoris atq; animi præſtantia, copia rerum

Vberior,

Vberior, vis conſilij præſentior omnis.
Dum nunc hic, nunc ille aliquid, quod & vtile credat
Inuenit; alter & alterius ſæpe indiget vſu,
At qui ſolus erit, ſi forte quid vtile rebus
Cogitet, inueniatque, animo perſæpe labanti
Deficit, & timidum fugit omnis conſilij vis.

Hoc vtinam, vt tu, Sereniſſime Princeps, etiã alii audiant! Imo, adiicit Princeps, vtinam & audiant, & capiant, & faciant; Quippe omnis rerum humanarum prudentia, teſte vniuerſo ſapientum choro, in ambiguitate, (repeto) in ambiguitate verſatur. Quam ſentẽtiam, magnus Cancellarius Poloniæ conſilio & manu vere Magnus Iohannes Zamoiſcius inclytæ memoriæ, veluti ſymboli loco habuit. Iam ſi in ambiguitate verſatur omnis rerum, præſertim politicarum, prudentia, aut mera in omnibus imperiis confuſio & perplexitas dominabitur (Ambiguitas enim, vt Philoſophi inquiunt, eſt mater confuſionis) aut tollenda iſta rerum ambiguitas fuerit aliquo fauſto fœlicique medio. Illud autem medium nullum aliud eſt, quam conſilium. Hæc ſapientiſſime ſapientiſſimus Princeps. Deinde ego in mea oratione pergens, ſic ſermonem continuaui: Atque vt pluribus dicam, quid inſuper vtilitatis ex

ſena-

ſenatus ſiue conſiliorũ ſuorum conuerſatione & conſultatione Princeps hauriat, hoc aſſeuerare audacter poſſum, quod ex aſſiduitate conſiliorũ fiat prudentior & ſapientior.

Princeps bonus & ſapiens fit bonis & ſapientib. aſſidens.

Princeps enim fit bonus, ſi cottidie bonis aſſidet; malus, ſi malis; ſapiens, ſi ſapientibus; Circumſpectus & prouidus, ſi circumſpectis & prouidis. Prudentior, inquam, fit ex cõſilio Princeps, (bis dico.) Prudentior & ſapientior. Nam licet in adminiſtranda, tractandaq; republica ante fuerit rudis, ſtolidus, fatuus; ſi fuerit ſtupidus, blennus, fungus, ex aſſiduitate tamen conſiliorum, ex conſuetudine deliberationum, ex agitatione rationis, ademptioneq; controuerſiarum & querelarum, nec non decernendis variis negotiis, quaſi in optumarum & ſalutiferarum ſcientiarum ſchola (ſi modo ſanæ rationis partem habet) breui efficitur doctus, peritus, circumſpectus. Quantum diſtat rationalis homo à bruto animali, tantum Princeps bene conſultus differt ab inconſulto. Quantum periculis obnoxius eſt imperitus artis tractandi equos indomito equo inſidens, tantũ infortunij expectare debet Princeps prudentum virorum conſilia ſpernens. Rudis & ſtupidus homo, non ideo maiori ſapientia & prudentia pollet, quia potens Monarcha, quia Imperator &

Princeps eſt, ſed quia occaſionem præ aliis habet, eam facile & cito hauriendi.

Sapientia argumentum eſt in principe, ſapientum conſilio uti.

Dicunt ſapientes ſapientiæ argumentum in Principe eſſe, ſi ſapientum virorum conſilio vtitur. Prudentia enim non dictitat, vt res magnas non Principem ſolummodo, ſed & multos mortales concernentes, per ſe agat, ſed ab aliis etiam adminicula & conſilia quærat; quippe cum princeps perſona publica ſit, & Reipublicæ caput. Indicium igitur prudentiæ bonæque mentis princeps populo oſtendit, quando ſibi viros literis, virtutibus & prudentia excellentes eligit, cum quibus conuerſetur, quos conſulat, quos familiaritate amplectatur, & beneuolentia proſequatur: Sunt conſiliarij prudentes & ſapientes, ſunt literati & prouidi, ſunt periti & fidi, prudens quoque & ſapiens literatus & prouidus, peritus & fidus ipſe princeps exiſtimatur.

Σοφοῖς ὁμιλῶν κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός.

Sapiens erit ſapientibus ſæpe aſſidens.

Κακοῖς ὁμιλῶν, κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Cum malis conſuetudinem habens & ipſe malus erit.

Et eſt

Et eſt omnium prima, de Principe coniectura, quam populus ducit ex iis, quos circa illum verſari obſeruat.

Populum talem eſſe indicat principem quales ſunt ij cum quibus conuerſatur.

Conſiliariorum clariſſimorum, Sapientiſſimorum & Prudentiſſimorum virorum fama, ad Principis famam conducibilis eſt.

Et quis aliter de Principe iudicare poteſt, quam quod ſit talis, quales ſunt amici, quorum familiaritate implicatur, ſecundum hoc vulgare Prouerbium.

Noſcitur ex ſociis, qui non cognoſcitur ex ſe.

Cum ſancto ſanctus eris, inquid Dauid, *& cum viro innocente innocens; & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerſus.* Et Salomon: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit.*

Et Seneca ad Lucilium ſic ſcribit: *Nulla res magis animos induit honeſtos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuerſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aſpici, frequenter audiri.*

Bonorum virorum conuerſationis vtilitas, & malorum pernities.

Huc referre placet, quod Petrus Gregorius ſcribit, ad hanc rem non inconcinne quadrans: *Infamant Principes huiuſmodi infamis vitæ conſiliarij: nam eos admittẽdo tales, vel nõ repellendo, videtur illorũ vitam probare, parumque reipublicæ vtilitatem curare.*

Infamant principes infamia vitæ conſiliarij.

Peſſime audiuit Tyberius Cæſar, quod PomoFlacco & L. Piſoni, cum quibus noctem, continuumque biduum potando conſumſerat, alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis confeſtim detuliſſet, & ignotiſſimum quæſturæ candidatum nobiliſſimis antepoſuiſſet, ob epotam in conuiuio propinante ſe vini amphoram. Male etiam audiuit Antoninus cognominatus Heliogabalus, & in indignationem, & ſenatus & militum incidit & contemptum, quod eo vecordiæ prouectus ſit, vt omnes ſcenicos & artifices, reipublicæ conſiliis & moderationi ſeu adminiſtrationi præpoſuerit, & maximis imperii dignitatibus: Quippe exercitibus ſaltatorem quendã præfecit, qui olim iuuenis publice in theatro operam dederat: alium item è ſcena, iuuentuti: alium ſenatui, alium etiam equeſtri ordini præpoſuit: aurigis item & comœdis mimorumque hiſtrionibus maxima imperij munia demandabat, ſeruiſque ſuis ac libertis, vt quiſque turpitudine reliquos anteibat, procurationes tradebat prouinciarum. Peſſime quoque audiuit Caius Cæſar Caligula, quod in Curiam introduxit homines improbiſſimos & turpiſſimos, quamuis diceret, per eos ſuam ſe dignitatem recuperaſſe. Hoc forſan ſtudebat, vt ſceleſtiſſimorum conuerſatione, ipſius ſcelera minus conſpicua eſſent. Quemadmodum etiam nunc quidam principes ſolent nutrire moriones, quod forſan illorum comparatione ſibi ipſis videantur ſapientiores: vel quod ex illorum ludificatione delectentur, & per eos prolo-

qui

qui faciant quæ ipſi non audent: Quanto magis peius audire eos exiſtimabimus principes,qui cupiditate pecuniæ conſiliorum ſedes diſtrahunt: & ita viliſſimos & impiiſſimos diuites ſuorum cōſiliorum reddunt participes, nundinatores ſentētiarum, vt minutatim diuendant, quod ſemel emerint. Ideo quia pecuniis promoti ſunt in ſedes, luxurioſi & voluptuoſi diuites, vix vllam annotabis in conſiliis aut perſonis grauitatem aut præſtātiam, ſed videbis vt deſultores, mimos, ſtultos, iuuenes laſciuientes, ſe mutuo in ingreſſu & egreſſu concilij gerere, vt ioculatores potius & palæſtritæ quam conſultores Principis exiſtimentur, videbis fucatos more fœminarum, odoribus perfuſos, quod certe dedecori eſt principi, & minuit apud exteros & ſubditos eius maieſtatem.

Princeps magnam ſibi authoritatē concilias per conſiliarios ſuos prudentes.

Cœterum, p̄ter has omnes vtilitates, quas princeps à ſuis amicis ſiue conſiliariis nanciſcitur, & hæc eſt, quod magnam authoritatem ſib apud populum conciliabit per conſiliarios prudentes & ſapientes. Recta enim, iuſta & ſalutaria omnia & ſingula eſſe putant ſubditi, quæcunq; facit, ſi non ignorant principem prudenti ſuo vti concilio & conſilio.

Nihil quippe tanti ponderis, nihil tanti momenti ad res in republica peragendas eſt, quam

concilij authoritate niti, cum conſiliariis deliberare, & conſilio vti, atque imprimis in re ancipiti, dubia & ambigua, quando ſcilicet dubitatur vtile ſit, nec ne id, quod Princeps fieri cupit. Porro ſi quid iniquius à Principe, duriuſue ſiue acerbius; aut verò inſolitum imperatum ſit, atque errore captus de via decedat, ſi conſilio amicorum, ſiue conſiliariorum ſuorum factum eſſe ſubditi putant, nemo erit, qui id credit; neque iniquum illud aut durum ſubditis videbitur, ſed æquum, ſed iuſtum & rectum.

Hoc prudentes Principes probe ſcientes, pro arcano habent, & ſæpe eo ad ampliſſima ſua commoda vtuntur.

Princeps conſilia negligens damna ſibi cauſat.

E contra, ſubditi Principem ſpreto concilio rem gerere perſpicientes, tum Principem, eiuſque acta aſpernantur, & nonnunquam iuſſa molliter, aut omnino nō exſequuntur, ſed principem ſeditioſis potius, ignominioſiſq; vocibus & coniurationibus proſequuntur.

Si Princeps ſine conſilio bellum ſuſcipit, Regno impendentes clades & calamitates perturbatus, perculſus conquerens populus deplorat.

Et licet bene & recte aliquid factum oculis videt, fidem tamen & authoritatem detrahit:

hit: Et vel fortuna vel hoſtium negligentia factū eſſe putat.

Hunc errorem plures Principes ſtulte magno cum ipſorum detrimento, ipſorumque ſępe interitu peccarunt.

Non eſt neceſſe vt Princeps ſemper populo cauſam promat, cur ita ſtatutum, ordinatum ac iuſſum ſit, ſufficit, vt is ſciat, Principem, nil temere, ſed omnia cum conſiliariis, communicato, maturo & profundo conſilio agere; Iuſta igitur omnia habebit populus ob de Principe conceptam bonam opinionem, quia nihil temere, nil ſine conſilio facere Princeps conſueuit.

Quin etſi quoddam iuſſum populum nimis offendit, ſi conſtat ex concilio venire, haud Principi imputatur, ſed concilio ſiue conſiliariis, in quos commurmura, & conuitia conijcit; Hinc crebræ in qualibet ferme republica populi querelæ hæ:

Si quid durum populo vnacum concilio præcipit & proponit princeps, conſiliariis haud principi imputatur.

Quid iuuat; inquit, bonum Principem habere, ſi ille malos conſiliarios? Principem quidē bonum; ſed malos eſſe conſiliarios; Principē quidem genuina bonitate præditum, niueaque probitate candidum, ſed prauos, & deprauatos eſſe conſiliarios; Principem nil vnquam cupi-

cupide, nil quicquam improbe, nil tyrannice agere, nilq; innouare, ſed eſſe male conſultum: Et ſic cauſam conſilio potius, quam Principi ſubditi tribuunt.

Si quid laudabiliter in principis concilio factum, ſoli principi laudem deferunt.

E contra, ſi quid laudabiliter, ſiue quicquid ſit, quod populo arridet, in Principis concilio factum eſt, â ſolo Principe illud profectum ſubditi dicunt, eique ſoli laudem deferunt; Tanta eſt in legitimum Principem populi naturalis dilectio! O quam ſcite ſciti Principes hoc intelligunt, atq; ad laudem ſuam hoc populi more vti probe ſciunt!

Principi multa alia ex concilio proueniunt cõmoda.

Sic eſt: Ex concilio Principi accedit maieſtas, reuerentia & authoritas; Timor denique & metus in ſubditis augetur; imo & populi fauor & dilectio, omneſque boni affectus erga Principem amplificantur & confirmantur. Non hic Seueri Imperatoris matris vox audienda, ſed filii reſpõſum ponderandum eſt: *Fili, debiliorem*, ait illa, *tibi, & contemptibiliorem poteſtatem facis, dum conſiliarios tuos in magnis rebus gerendis adhibes.* Reſpondit ille, *ſed ſecuriorem & durabiliorem.* Planiſſima igitur, veriſſima & certiſſima Regula ſit omni Principi: prudentes conſiliarios omnis ſalutis authores eſſe: quippe â quibus ad Principem non ſolum fœlices actionum ſucceſſus, ſed & honos, ſed & exiſtimatio, ſed & au-

& authoritas, tam apud ſuos, quam extraneos proueniunt: Jſti cum amore ei parent; peregrini virtutem eius exhorreſcunt; vtriq; eum venerantur. Hæc cum dixiſſem, Princeps clementi voce & vultu, atque adfirmate, eſt ita, vt longa, inquit, oratione demonſtraſti, Eluere, concilij magna vis eſt, ſumma neceſſitas, & ampliſſima vtilitas, ſine quo nulla reſpublica conſiſtere, aut floreſcere poteſt.

Quare Principis prima præcipuaque cura eſſe debet, vt prudentes viros quærat, quæſitos & repertos ſibi conſiliarios paret, & adſumat, ex iiſdem concilium conſtituat, iſtud frequentet, & illorum conſilium vſurpet.

Principis prima & præcipua cura eſſe debet, vt prudentes cōſiliarios quærat.

Sciat omnis Princeps, imperium ſuum tam diu vigere & florere, quam diu in eo florebit & vigebit concilium. Huc Poetę ſpexere fingentes: fuiſſe in fatis, euertendam eſſe Troiam ablato Palladio: quo ſignificarunt: tam diu rempublicam florere & ſtare, quam diu ibi regnet Pallas, id eſt ſapientia & conſilium, illa amiſſa, rempublicam concidere & euerti: Ego prudentum amicorum conſultationem rem ſacram eſſe duco, & conſultorem perſonam ſacram.

Imperia tamdiu florent, quã diu in iis floret conſilium.

Quiſquis ille Princeps, qui huic meæ ſententiæ contradicit, deſipit. Ipſa namque experi-

entia ſatis docet, grauiſſimos & innumeros eſſe labores Princ pis, terræ partem ſub ſua tutela habentis.

Quapropter magnis multiſque adiutoribus & amicis Princeps indiget, vt hanc Prouinciam fœliciter gubernet: ſic eſt: multis manibus, multis pedibus, multiſque mentis oculis opus eſt. Non vnica ſed multis demiſſis anchoris hæc reipublicæ nauis ſeruatur.

Cæca omnis potentia ſine prudentia

Cæca omnis potentia ſine prudentia. *Qualis Poetarum*(. ſapientis Belgæ verba ſunt.) *Cyclops amiſſo oculo: talis Princeps, cui abeſt lumen hoc frontis. Quis nauem mihi dirigat, ſine ferro quod affricuit Siderites? ſic nemo rempublicam, ſine mente, quam afflauit illa Diua.* Atque hanc, mi Elucre, partim ex ſeſe habeat Princeps, partim aliunde hauriat;

Duplici prudentia principem pollere oportet, propria & mutuatitia.

Mea namque ſententia duplici prudentia omnem Principem pollere oportere, altera propria, altera mutuatitia ſeu aliena: Propriam dico qua ipſe Princeps inſtructus eſſe debet, ſed heu; licet hæc magis, quam fortia mœnia, quam potentia & pecunia neceſſaria ſit, nimis tamen rara eſt: Mutuatitiam puto quæ â conſiliariis ſumenda eſt.

Tecum igitur concludo & ſentio: Conſiliariorum opera & adminiculo quemlibet Principem

cipem

cipem omnino opus habere,ſit ille rudens,ſit ille prudens; Rudes & imperitos inſtruunt conſiliarij,prudentes in recta ſententia confirmant.

Nec prudens mihi videtur ille, qui ingenio, doctrina, experientia & iudicio ſuo fretus, ſolo conſilio proprio omnia gerit, ſed ſuperbus ille eſt,ſed ſtultus,redrudens,haud prudens.

Non eſt prudens, qui proprio ingenio prudentiæ fidit

A Deo prudentia & ſapientia petenda.

His grauiter dictis, oculis in cœlum miſſis, digitos articulis innectens:

Tu ô æterna ſapientia, ait,tu qui corda noſtra regis, & quicquid bene ac pie cogitamus, & agimus infundis,diſponis & impellis;cordi meo, meoque concilio aſpira prudentiam, & rationis noſtræ lucellum lumine tuo illuſtra, intelligentiæ ſpiritu nos reple, & conſilia actaque noſtra, quo cupis,dirige; Quoniam cogitationes mortalium timidæ, & incerta prouidentia noſtra!

Tu ô potens, ô ſapiens Deus, immortalis mortalium cuſtos, qui imperia ſtabilis, qui eadem transfers & dirimis;

O auctor & actor rerum, cœlorum,Oceani & terrarum moderator & molitor, auriga,gubernator & rector vniuerſi,qui in hoc mundano curru habenas & frena ducis; qui me tanquam

politicum vicarium & curatorem tuum in terrarum orbem, orbis particulam tuo nomine gubernandam miſiſti & conſtituiſti, te toto animo inuoco, debiliſſimo vaſculo ſuccurrere, in munere meo me adminiculari & populum hunc tuum mihi commiſſum & ſubmiſſum fœliciter ſeruare, ne dedigneris.

Infunde cordibus noſtris, O æterna ſapientia, ſapientiam: Largire ſana conſilia, & dirige ea ad finem ſanum, ad tui, ſcilicet, gloriam & populi vtilitatem & pacem.

Hæc hucuſque pientiſſimus, Sapientiſſimus & literatiſſimus princeps. Admirans ego tot ſplendidis virtutum ornamentis decoratum Principem, quem dos ſapientiæ, vitæ ſanctitate, coniuncta, ſumme commendabat, & oratione hac ſua, quaſi ſtupefactus exclamo: O optumi Principis optumam notam!

Hanc ob rem Deo tantopere placuit Salomon, quoniam non honores, non diuitias, non potentiam nec de inimicis vindictam, ſiue victoriam, neque vitam prolixam, ſed vt populum ſibi concreditum fœliciter regeret, regnumque ſibi datum ſapienter adminiſtraret, ſapientiam ſolummodo, vnice ad gubernandum imperium neceſſariam, â Iehoua petijt. Illa ipſa, inquam, ſapien-

pientia, ſolus ille fons eſt, ex quo vera & incorruptibilis prudentiæ aqua eſt haurienda. Ille, ille dat mortalibus, (vt in ſacris literis eſt legere) ſapientiam; Ex ore eius prudentia & ſapientia. Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo; ipſe habet conſilium & intelligentiam!

Deinde conuerſo in Principem vultu, Et, vana eſt, inquam, Princeps Sereniſſime, vana & infœlix omnis humana vndiquaque ſine Deo quæſita ſapientia & prudentia. Omne conſilium quod non à Deo, lubricum & in fine infauſtum eſt; Quare, *Deus eſt*, inquit Iob, *qui ponit humiles in ſublime, & mærentes erigit: qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poßint implere manus eorum quod cœperint: qui apprehendit ſapientes in ſtultitia eorum & conſilium prauorū dißipat.* Dauid etiā, *Dn̄s*, inquit, *reprobat cōſilia Principum:* A Deo vero petitum conſilium firmius, vtilius & certius eſt, cunctis conſultationibus ab humana ratione profectis. *Sine Deo omnis prudentia vana eſt, & conſilium nullum.*

Ego ſum huius ſententiæ; nullam rempublicam ſine Dei ope fœliciter regi, gubernari & ſeruari poſſe; En tibi pecudes & in campis errantes greges & beſtias; nunquid illæ ſui curam habere queunt! nunquid ſe regere poſſunt? Non mehercle, non; haud ſibi ipſis ſufficiunt, ſed hominis, paſtoris, ſcilicet, directione & cura indi- *Sine Dei ope nullā Rempublicam regi.*

gent: Idem, ſentio, in populo eſſe, nempe, quod hominum cœtus à ſolo homine, ſine Numine diuino regi & gubernari non poſſit.

Deus itaque neceſſum eſt, vt populum regat, dirigat moderetur & quaſi manuducat; Deus, neceſſum eſt, ſalutaria conſilia largiatur, & principis ſiue reipublicę rectoris concilio aſpiret, & prudentiam eius lumine ſuo illuſtret.

Incrementum, pax, ſalus, & ſtabilitas omnis Reipublicæ non aliunde quam à diuino illo Numine ter optimo maximo bonorum conſiliorum authore, datore, dictatore.

Prudentes principes & prudentes conſiliarios à Deo eſſe.

Prudens princeps & prudentes conſiliarij à Deo ſunt. DEVS, ſi Reipublicæ propitius eſt, dat & Principem & conſiliarios ſapientes; ſi iratus eſt, dat ſtupidos, ſtultos & prauos. *In manu Dei poteſtas terræ*, ait Eccleſiaſticus, *& vtilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam. In manu Dei proſperitas hominis, & ſuper faciem ſcribæ imponet honorem eius.*

Ex his videre eſt, Deum & Principe & conſiliariis vti ad reipublicæ vel ortum, vel abortum.

Si rempublicam creſcere & ſeruare vult, dat & Principem & conſiliarios optimos, ſi perdere, dat peſſimos.

Solus

Solus Deus eſt, qui rempublicam ſuſtentat; Quicquid enim non ſeruat, corruit & perit. *Solus Deus eſt qui Rempublicam ſeruat.*

Stare diu neſcit, quod non fulcitur ab alto.
Et diſcors in ſe regnum durabile non eſt.

Memoria dignum eſt, quod de ſancta vidua Iudith in ſacris literis ſcriptum eſt, illa cupiens liberare obſidione ciuitatem Betuliæ, quã tum tẽporis Holofernus caſtris cinxerat, & priuſquam animum ad conſilium componat, atque antequam, quod mente voluebat, eloquatur, rẽque aggrediatur, Presbyteros rogat, vt Deum pro ſe orent: *orate,* inquit, *vt Deus firmum faciat conſilium meum.* De religioſo Imperatore Conſtantino Nicephorus ſcribit, eum quo palam faceret totoque mundo teſtaretur, quam neceſſaria imperanti cęlica ſapientia eſſet, imaginem ſuam, ſublatis in cœlum manibus ad inſtar opem conſilium & auxilium à Deo implorantis nummis aureis inprimi mandaſſe.

His à me recitatis, Princeps ad me, imo & Sanctiſſimus Rex Dauid, inquit, idem intellexit, quando non immerito (vt paulum ante memoraſti) petijt, vt Deus conſiliario Abſolonis adimeret intellectũ, quo min⁹ ei nocere poſſet. Nouerat n. omne conſiliũ in manu Dei eſſe, flectereq; illud

illud, quo velit; atq; idcirco exclamauit: *Nullum quæſo, redde conſilium Architophelis ò Jehoua!* Illuſtris Propheta, Monarcha & Hebræorum Dux Moyſes quicquid de hac re diximus, exemplo ſuo teſtatur.

Omne vtile conſilium à Deo petendum.

Omne ſcilicet vtile & ſalutare conſilium â Deo petendum; In omnibus enim rebus ille Deum conſuluit, & conſilia â Deo petijt. Hæc dixit Princeps & in memoriam mihi reuocauit, quod olim de Paſtorum cura in B. Gregorij ſcriptis legeram: *Moyſes*, ſcribit iſte, *crebro tabernaculum intrat, & exit, & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negociis vrgetur; intus Dei arcana conſiderat, foris onera carnalium portat, qui de rebus quoque dubiis ſemper ad tabernaculum recurrit, coram teſtamenti arca, Dominum conſulit: exemplum proculdubio Rectoribus præbens, vt cum foris ambigunt quid diſponant, ad mentem, quaſi ad tabernaculum, redeant, & velut coram teſtamenti arca Dominum conſulant.* Et hactenus ille. Hoc legant & audiant Principes propria prudentia freti; hoc, inquam, legant, audiant, & â Deo ſana proſperaque conſilia petere diſcant! Dum hæc proloquerer, & linguam ad alia huc commode dicenda componerem, blandius, neſcio, an benignius ad me Princeps: Amorem, inquit, & ardorem oratione tua mirabiliter & delectabiliter mihi

mihi iniecisti, diutius & vberius auſcultandi. Atq; ego, volo, inquam, vehementer volo, & proloqui geſtio, tum quia in auguſto tuo animo honeſtam flammam eſſe incenſam intelligo, tum quia loci ſumma amænitas, ac ventus per aeris campos mediocri ac dulci ſuſurro volitans, noſque extremis alis afflans ſummeque delectans, eo me inuitat. Inter hęc mea verba irrumpit Princeps, & ſuper hac inter Politicos ſæpe mota quæſtione, tuam ſententiam, inquit, audire deſidero.

An tollerabilior ſit regni ſtatus in quo conſiliarii mali, princeps bonus: an vero econtra &c.

An tollerabilior ſit regni ſtatus, in quo conſiliarij mali, Princeps bonus: an vero contra in quo conſiliarij boni, Princeps malus? Reperiuntur equidem quam plurimi doctores politici, qui ſtatuunt; Fœliciorem eſſe Rempublicam, tutiorem & meliorem, in qua Princeps malus, eâ, in qua Principis conſiliarij mali: Rationem ſi inquiramus hanc adferunt, ꝙ vnus malus â plurib. bonis poſſit corrigi: Nec econtra plures malos ab vno bono. Priſca exempla quoque teſtantur, aliquot reſpublicas licet Princeps malus fuerit, ab optimis tamen conſiliariis cum laude eſſe adminiſtratas. Hæc pro malo Principe allegare ſolent. Mihi vero contrarium verius videtur; quippe qui Deum contemnit, haud quemquam ma-

gnifacturus eſt alium: qui Deum non audit, nec cum audiet, quem in aula ſuſtentat. Cum Princeps ſit regni caput, conſiliarij tantum membra: impoſſibile eſt, vt capite ægrotante inferiora membra ſana ſint. Teſtor hic medicos, qui periculoſiſſimum morbum eum dicunt, qui â capite eſt. Capite male ſe habente, cœtera membra langueſcere & tabeſcere vno ore, vna voce iſti acclamant. Accedit, quod vnus bonus à pluribus malis facile corrumpi poſſit. Quod de Actæone Poetæ fabulantur, eum in venatione à canibus, non alienis, ſed ſuis, dilaniatum eſſe, cum illi

Vndique circumſtant, morſiſque in corpore roſtris
Dilacerant falſi dominum ſub imagine cerui.

Idem de principibus dici poteſt, quibus non tantum ab externis damnum dari, quam ab ipſis quos alunt, quos fouent, quibus fidunt, inferri aliquando ſolet.

Adde, quod, ſi omnia & ſingula in Republica conſiliariorum voluntate & nutu gerantur, ipſi iam non amplius conſiliarij dicendi ſint, ſed Reges, ſed Principes, ſed Rerumpublicarum Rectores. Hoc ſi fit, mutatur Reipublicæ forma, nec diutius Monarchia dicenda eſt, quia haud â ſuo principe, ſed â multis Principibus regitur

gitur & gubernatur. Ad hanc ſapientis & eximij Principis quæſtionem paucis verbis & ita reſpondi: ſic eſt, Sereniſſime Princeps, Res non caret dubitatione. Attamen certis cum conditionibus ex politicis accuratioribus eam definiemus. Et primo quidem, ſi Princeps non ſit abſolutus Monarcha, ſed habeat poteſtatem limitatam ab ordinibus regni, certum eſt, tolerabiliorem eſſe ſtatū, ſi princeps ſit malus, quam ſi Conſiliarij; ſin vero ſit abſolutus Monarcha, qui conſiliarios & ſenatores habeat in ſua poteſtate, vt poſſit eos deponere quando lubet, tū pręſtat cōſiliarium eſſe malum q̃ Principem. Qua ſi princeps mal⁹ ſit, non facile corrigetur p̱ conſiliarios, vt pote quibus abſolute dominatur, nec illi tantum apud eum authoritatis habere poſſunt. Deinde ſi malus Princeps capiatur pro malitioſo & verſuto, tolerabilius eſt ſi tales ſint conſiliarij, princeps autem bonus ac prudens; præſertim in ſtatu eminentiore; ſin vero malus ſumatur pro minus idoneo, aut minus prudente principe, qui facile tanquam ſimplex patiatur ſe gubernari à conſiliariis, ita vt ipſe aut parum, aut nihil in regimine intelligat, tū præſtat Principem eſſe malum, quā conſiliarios: Et ſane ex hiſtoriis conſtat fœliciter gubernata eſſe multa eiuſmodi regna.

Si enim Principes infantes per ſuos curatores & tutores regna gubernare poſſunt, cur non ſimpliciores per ſuos Conſiliarios? Ego tandem, celſiſſime Princeps, ad fœlicem ac tutum ſtatum conſeruandum, in mea republica, nec ſolum principem nec conſiliarios tantum bonos ſufficere volo, ſed bonum Principem & bonos conſiliarios coniungendos eſſe ſtatuo.

Vtrum principi per ſe non ſapienti, rectè conſilia dari poſſint.

Ad hanc ſolutam quæſtionem, Princeps ſereniſſime & alia inquam à politicis moueri & agitari ſolent, vtrum, ſcilicet, Principi per ſe non ſapienti, rectè conſilia dati poſſint; Hæc politicorum quæſtio, ex ſuperioribus meis verbis etiam decidi poteſt, quando ſcilicet, non pro malitioſo ſed pro ſimplici ſumatur. Nec prorſus deſpero de malitioſo & verſuto Principe qui bonis aſſidens, ex bonorum quotidiano commercio & frequenti conuerſatione & bonus ſæpe, teſtibus hiſtoricis, redditus eſt. Et licet Machiauellus contrarium doceat, nil eo moueor. Regula eſt cerſiſſima; Princeps qui per ſe non ſapit, ei conſilia non facile dari poſſunt. Illud maneat, neceſſarium eſſe: Recta cõſilia à quocunq; proficiſcantur, à Principis prudentia, non aũt principis prudẽtiã à rectis cõſiliis deriuari. Et addit ibidẽ rationes; Primo, quia inquit,

inquit, talis princeps aut ſe vni tradet, aut pluribus. Vnus iſte, in tanta potentia diu bonus manere non poteſt, potiuſq; exturbabit Principem ab imperio, quam ei conſilia ſuppeditabit. Inter plures autem perpetua erit ſententiarum pugna, quas ille, cum non ſit prudens, non poterit conciliare. II. Quia inter tales conſiliarios de propriis commodis vnuſquiſq; cogitabit, quos ille nec agnoſcere, nec corrigere poterit. III. Quia boni conſiliarij non facile reperiuntur: nunquã enim, ait, non vſu tibi veniet, vt homines in te improbi ſint, niſi aliqua vi cogantur vt ſint probi. Ego iterũ hic cũ aliis politicis ſaniorib. cumprimis inſigni Philoſopho Keckermanno, ad haſce Machiauelli rationes reſpondeo. Id vltro Machiauello me concedere: difficulter admodum dari cõſilia ei, qui ipſe non ſapiat: at vero plane nihil prodeſſe bona & recta conſilia principi, qui ipſe ſumme prudens ac ſagax non ſit, id vero pernego, & illud primo Machiauello oppono, qđ fuerint Reges, qui licet eſſent non adeo prudentes, tamen conſiliis agnati alicuius, aut alioquin viri probitate & prudentia conſpicui regna geſſerunt.

Infinita ferme id docentia exempla ſunt, quæ non opus, referre. Imo conſtat, pueros regna gubernaſſe per conſiliarios fideles & prudentes.

Quod plures porro ſententiis, vt ait Machiauellus, inter ſe perpetuo pugnabunt; nec eos inter ſe conciliare poterit; Id aliquid videtur habere momenti. Sed regero: conſiliarios, ſi viri boni ſunt, ſi fideles, ſi publici amantes, facile conſenſuros. Sed & pluralitas virorum in diſſenſu aliquid poterit? Cœterum ipſe Princeps, licet imprudens ſit, & ingenij hæbetis atque tardi, tamen iſta crebra auſcultatione variorum (vt dicitur) diſcurſuum & conſiliorum aliquam indies contrahet in rebus peritiam. Prudentia enim non tantum paratur, ſed etiam augetur prudentum conuerſatione. Imo ſunt politici, inter quos eſt Ribadeneyra, qui optant Principem tardi ingenij, debilioris iudicij, & minus ſcientẽ, vt ſibi diffidens, bonos cõſiliarios adhibeat, à quorũ prudentia pendeat, & quod ſibi deeſſe cernit, ſuppleat. Idcirco, nonnulli Reges volunt, inquit, vt eorũ hæredes ſint omnino indocti, ne rerum cognitione cum ſumma poteſtate cõiuncta, multũ ſibi fidentes, aliorũ aſpernentur conſilia, & omnia ꝓ ſuo arbitrio ac libidine adminiſtrent. Porro, plures, inquit Machiauellus, illi conſiliarii de propriis tantum cõmodis cogitabunt, quos cognoſcere, non tñ coercere poterit. Id vero cũ ſupra citato authore deploramus & fatemur, nõ abſq; difficultate poſ-

ſere-

ſe reperiri conſiliarios, omnib. modis perfectos: Hoc indicare videtur voluiſſe Alphonſus Rex Arragoniæ, cui adoleſcentulo cum proceres ſuaderēt, vt adiungeret ad gubernationem Regni viros ſeptē, qui Deum timerent, iuſtitiam colerēt, cupiditates refrenarent, neq; donis neq; munerib. caperentur; ipſe reſpondit; Si tales non ſeptem, ſed vnum dederitis, continuo illi & regnum & regimen conceſſero. Tamen negandum non eſt, reperiri multos præclaros viros & ſapientes, & publicorū magis q̃ priuatorum amantes, qui Principi adiungi poſſint. Non eſt ita ſiniſtre iudicandū de genere humano, quaſi omnes in eo & ſemper ita ſint corruptis morib. vt de publico bono nō cogitent, priuatarū tantū rerū ſint mancipia. Quod ergo Machiauellus dicit: Nunq̃ nō vſu tibi veniet vt homines in te probi ſint, niſi aliqua vi cogantur, vt ſint probi. Id ſane & nimis durum eſt, & à ratione alienum. Quis n. dixerit vi eſſe cogēdos, quos in te probos & bene affectos eſſe velis; ſiquidē facilius alliciuntur mentes humanæ virtutib. benignitate aut beneficiis. Amor vero coactus nō eſt amor. Nec pſonā diu ferre poteſt is, q ſimulate ac coacte agit. Nam vt Seneca inquit: *Ficta cito in naturam ſuam recidunt*; Morum ſimilitudo amorē inter homines cōciliat, *ſimilemq; Deus ducit ad ſimilē*, vt in-

vt inquit Plato in Lyſide. Eſt optandum vt Princeps ipſe conſilij copiam habeat, vt ipſe ſagax ac prudens ſit. Tali enim Principi fœlicius conſilia dantur, quam ei qui ipſe conſilij expers eſt. Quo pertinet illud Bodini: In Monarchia de quibus ſit conſultatio, aut Principem ea intelligere, aut populari opinione â Principe intelligi oportet, vt grauior ſit eorum, quæ â Senatu decernuntur auctoritas & fides, ne ſubditi querantur, quicquam â Principe temere ſine conſilio, vel â ſenatu fieri quod Princeps optimus non probaret. Et eſt ſane periculoſum tale imperium, quod â tali principe, qui ipſe prudens non ſit, gubernatur; ſiquidem & illa ipſa periculo non vacant, quæ vel â prudentiſſimis Principibus gubernantur. Unde pie admonet Lauterbachius: Ad DEVM, inquit, confugiant Principes, curſumque gubernationis ſuæ illi commendent. Siquidem obruti tanta mole negotiorum, conſiliis omnibus ipſi nec poſſunt intereſſe, aut ſaltem præeſſe. Cum hæc ex dicto politico citaſſem, & lingua & vultu ad continuandam orationem compoſitis, præuenit me Princeps, &, ſatis de conciliorum vtilitate, inquit, dixiſti: cepi de hac re mentem tuam, & percepi, quod ſcilicet æque ac pane quotidiano Princeps conſiliariorum conſilio indigeat, nec ſine eo,

tan-

tanquam ſine reipublicæ fundamento in republica infeſta & infauſta omnia, cuius rei tam liquidam & obuiam veritatem eſſe exiſtimo, vt non alia veracior, liquidior, & receptior ſit inter gentes ab omni æuo ſententia.

Nunc ordo poſtulat, vt ad ſecundum membrum tuæ diſſertationis progrediaris, nempe dicas, quot & qualia magni Principis conſilia eſſe debeant. Tu mi Eluere, perge; Ego in hac loci opacitate tibi aſſidens, te diligenter auſcultabo, orationis tuæ mulſum ſitienter auribuſque animoque bibam, mentem tuam attendam, atque in ſententiam tuam intendam. *Quot & qualia concilia eſſe debeant.*

His verbis Princeps ad ſermocinandum me incitabat, calcaria addens ſponte currenti: Ego non diu meditatus, ſic incipio: Mitto hic concilij vtilitates, & quot conciliis magnus Princeps indigeat, poſt hæc dicam. Ac ſubmiſſe te celſiſſime & ſapientiſſime Princeps, precor, vt ſubinde interloqui, tuamq; ſententiam clemẽter promere haud dedigneris.

Anguſtam ingenij ſiue iudicij mei venam ego noui, colligere potius aquas ipſius eſt, haud ſpargere. Tu prudentiæ & ſapientiæ tuæ canales & tubos laxa, eloquentiæ tibias tubaſque ſona; erit, quod magna copia hauriam. Am-

pliſſimum ſermonis & prudentiæ tuæ flumen eſt. Cum ſiles, magna æſtas, ſiccitas & ariditas eſt: ſi loqueris,

Ruunt de montibus amnes.

De quinque conſilijs oratio continuatur.

Ego cenſeo, nec pluribus, nec omnino paucioribus magno Principi opus eſſe conciliis, quã quinque. *Primum* voco concilium iuridicum. *Secundum*, religioſum conſiſtorium, itemque concilium cenſorium: *Tertium*, quod ærario & annonæ præficitur: *Quartum* militare: *Quintum* ſanctius, ſecretius ſuperiuſque concilium, quod cæterorum caput eſt. Hæc quinque concilia muneribus, negotiis, conſiliariis, poteſtate, & dignitate differentia inſtituat mihi magnus meus Princeps; concilia iſta diligenter adeat & frequẽtet: Experimento videbit, ſe & cõmode & fœliciter rempublicam ſuam recturum & gubernaturum.

De Concilio iuridico.

Iuridicum concilium quod attinet, incumbit ei iuſtitiam & diſtributiuam & commutatiuam ſecundum leges protegere; nec non conſiderare & prouidere, vt inuiolabiliter leges obſeruentur, & debitæ executioni mandentur: curare inſuper, vt ſontes puniantur, inſontes protegantur. Ad hoc concilium pertinent omnes querelæ, omnes lites & appellationes cauſarum

tam

tam criminalium, quam ciuilium, quæ ad Principem vel prima, vel ſecunda inſtantia deuoluuntur. In hoc concilio ſedeat iuſtitia, ſedeant, inquam iudices obligatis oculis; hoc eſt, ſine perſonarum reſpectu, ſine auaritia, ſine amore & odio, ſine (vt verbo dicam) omni affectu. Tanquam Dei vicem adminiſtrantes, ſint timentes, ſint prudentes & circumſpecti: Habeant illi iuſti & iniuſti ſcientiam: illis conſtans & perpetua voluntas ſit, ius ſuum cuique tribuendi. In tribunalis veſtibulo aureis literis inſcriptum ſit, quod Weſenbecius ſcribit: *Vt artis Medicæ*, inquit, *finis eſt, conſeruare & reſtituere ſanitatem, medium ſeu officium præſeruare á morbis & curare appoſite ad ſanandum; Sic Iuriſprudentiæ finis eſt conſeruare in vita ciuili iuſtitiam, quæ eſt quaſi ſanitas politiarum:* Cicero: *ſit in iure*, inquit, *ciuili finis hic legitime atque vſitate in rebus cauſiſque ciuium æqualitatis conſeruatio.* Porro mediũ quo id obtineri poteſt, eſt ius noſſe, & quid quaque in re iuſtum, iniuſtum, æquale, inæquale ſit, ratione & ſtudio exquirere: Idemque exquiſitum atque cognitum ſcienter reddere & in vſum fori publicum educere, ac omnibus rerum humanarum actionibus cum publicis tum priuatis, recte atq; æquabiliter accommodare. Secun-

dum concilium dixi Religioſum cõſiſtorium.

De ſecundo concilio, quod vocatur Religioſum conſiſtorium, & cenſorium.

Huc pertinent omnes lites de rebus diuinis, ſacris & religioſis. Item omnes querelæ matrimoniales, omnes querelæ eccleſiaſticæ & ſcholaſticæ, ſint illæ de perſonis, ſint illæ de bonis eccleſiaſticis, ſiue ſcholaſticis. Huc quoq; refero cauſas noſocomij ſiue domicilij pauperum ægrotantium, ac villæ pauperum ſenum, panem ſuum ſudore & labore quærere, amplius non valentium, & vt breuiter, quid ſentiam, dicam: Ad hoc concilium reijcio omnes cauſas, quæ ſpirituali coercitioni ſubiectæ ſunt. Scio nonnullos politicos, in conciliorum diuiſione meminiſſe concilij cenſorij, atq; ex eo ſingulare concilium conſtituere velle, quod in ſpecie concilium cenſorium vocant. Ego vero iſtud concilium concilio conſiſtoriali annecto, atque ſic ex duobus hiſce conciliis vnum reddo. Conſiſtorialium igitur erit, diligenter de vita & moribus totius populi & cuiuslibet, præcipue in eccleſia & ſchola docentium inquirere. Propterea certis & conſtitutis annis ex ſuis conſiliariis eligat hoc concilium quos viſitatum mittat in omnes regni ciuitates, oppida & pagos, qui vitia notent, qui inquirant, an pura & vera Chriſtiana religio vbiq; floreat: an hæreſes pullulent: Nunquid aliquibus

in locis impietas muſſitet; nunquid ſuggeſtum conſcendat, & in Deum Chriſtumque eius palam debacchari audeat. An bono exemplo populum diuini verbi prædicatores & doctores, ciuitatumq; rectores probe præcedant, & populus eos optume præcedentes alacriter ſequatur. An ſufficientia ſtipendia prædicatores & in ſcholis docentes habeant. An matrimonia pro arctiſſimis ſocietatis humanæ vinclis & fontibus bonorum ciuium ſanctiſſimis habeantur? Nunquid templa, ſcholæ noſocomia ſtructura ſua conſeruentur. Atque in id genus alia diligenti oculo inſpiciant & inquirant. Ocium malorum omnium ſegetem ex populo tollant. Ocioſos & ebrios puniant. Hoc remedio ciues ad virtutis ſtudia excitabunt. Ludos quibus pecuniæ miſere perduntur, aut quibus pecuniæ iniuſte acquiruntur; è republica tollant. Conuiuiis funeriſque pompæ modum præſcribant. In pauperum curatoribus oculum intendant. Curent inſuper, vt pauperrimæ virgines & puellæ dotentur viris ſocientur & maritentur, ne inopia adactæ pudorem proſtituant. Sacrilegos & blaſphemos puniant. Omnẽ impietatem adeant, & oppugnent Errantes ad meliorem mentem reuocent, ſiue iubeant & curent, vt linguam contineant, venenumque illud

peſtiferum, quo vniuerſum populum perdere parant, in corde retineant; turbatores puniant, imo regno expellant: illis ſint doctores & ductores, iſtis tortores & expulſores. Si namque omnis & ſinguli concilij conſiliarij, viri cultiſſimis, puriſſimiſque moribus perlucide florere, huius profecto religioſi concilij conſiliarij elegantiorum ſplendore morum præcipue clareſcere debent. De cenſoribus morum hic quoque audiamus, quod (memini) Fricius ſcripſit. Eſt ille, mea ſententia, magiſtratus Reipub. neceſſarius, qui moribus præſit. In veteribus quidem & Græcorum & aliarum nationum Rebuſp. nonnulli magiſtratus puerorum, alij mulierum, quidam populi moribus præfecti erant: atque ex re ipſa nomina habebant, vt alii pædonomi, alii gynæconomi, quidam nomophylaces cenſoresve dicerentur, qui non ſolum ſcripta legum, ſed mores etiam hominum obſeruabant, & ad honeſtatem reuocabant.

Hos magiſtratus, homines â Chriſto alieni ſuis Rebuſpub. neceſſarios putabant: quorum metu non licebat adoleſcenti ocioſo eſſe, nec in ganeis deſidere, nec quibuſuis luſionibus operam dare: non licebat mulieri, nec ornatu nec rebus gerendis, ſepta (vt aiunt) tranſilire:

coge-

cogebatur ſenator, eques & cuncta plebs in officio eſſe. Nos in Chriſtianis Rebuſpublicis his magiſtratibus caremus. Itaque & vetus illa diſciplina, & morum ſeueritas, magna ex parte interijt. Quod ſi quis eſt, qui hunc magiſtratum putet parum neceſſarium eſſe, is mihi velim in mores multorum corruptiſſimos, oculos intendat. Eſt in ſenatu, qui iuſtitia neglecta ſententiam dicat vel ſui, vel alicuius alius commodi cauſa. Si ab eo rationem petas ſententiæ dictæ, reſpondet, ſibi vel ſui vel ſuorum rationem habendam eſſe. Hic an non dignus eſt, vt ſenatu moueatur, qui potiorem ducat vtilitatē ſuam quam iuſtitiam? Eſt qui à maioribus habet amplas poſſeſſiones: hic populis ſuis nullo pudore ſuperbiſſime imperat, & quæcunque libent licentioſiſſime perpetrat. Neque enim ſubdito reſiſtere domino, neq; in ius eum vocare licet.

An vero ſic exercens in ſubditos imperium, non eſt dignus nota cenſoria? Sunt inter præſides ciuitatum, municipiorum, arciumq; tam regiarum quam aliorum Principum, homines qui vndiq; captent occaſiones populi deglubendi. Imo inter ipſos beneficiarios reperiuntur, qui ſeruitiorum (vt ipſi dictitant) cauſa beneficiis perpetuis aucti, & hominib. & pecudibus & agris & pra-

tis

tis abutantur. De quibus nec Rex vnquam audit nec populus queri audet. An vero iſtis impune erit, talia perpetraſſe? Sunt item multi, qui ſuis rebus turpiter abutantur, qui dies noctéſque perpotent, qui res & patrimonia lauta diſſipent qui tamen moribus noſtris in ius minime vocentur. Quod ſi eſt è Repub. vt quiſque rebus ſuis bene vtatur, vt ſi vſus fuerit, poſſit opitulari Reipub. certe decoctores digni ſunt cenſorum animaduerſione. Eſt non nemo, qui præter opinionem nobilitatis, vnde commendari poſſit nihil habet: homo ſine re, ſine nomine: cui nihil ſeritur, nihil metitur, nihil penditur. Hic miniſtros non paucos vna cum equis alit: eius domuncula nihil habet præter lanceas, galeas, bombardas, ferrũ, arma: quibus terrori eſt vicinis omnibus: minatur vulnera, denunciat cædes quibus vult. Huic nemo vicinorum reſiſtere poteſt: nam agris addictis arma tractare non vacat. Nemo illi apud iudicem diem dicere, nemo eius nomen ad præſidem deferre audet, niſi qui ſe cædi expoſitũ vellet. Veniunt ad eũ ſupplices multi: veniam ab eo deprecantur erratorum, quæ nunquam admiſerunt, ſed quæ ille confinxit. Ipſe vero indies fit inſolentior. Tale monſtrum nõ ſubiacebit cenſuræ! Memorantur illa â ſcriptoribus rerum Romana-

manorũ exempla cenſuræ ſeueriſſime actæ. Cor. Ruffinus, duobus conſulatibus & dictatura ſpecioſiſſime functus, quod decem pondo vaſa argentea comparaſſet, perinde ac malo exemplo luxurioſus, numero ſenatorum exemptus eſt. Duronius, quod legem de coercendis conuiuiorum ſumptibus latam abrogauerat, etiam ſenatu motus eſt. Liuius Salinator, CL. Neronem collegam cenſoria animaduerſione perſequutus eſt, quod non ſyncera fide ſecum in gratiam rediiſſet. Conſtituendi autem cenſores, qui de moribus omnium ſtatis temporib inquirerent, quam quiſque exerceat artem: & vnde victum ſibi paret viderent. Ocioſos, nulli honeſtæ rei ſtudentes, virtuti infeſtos, vel ipſi punirent: vel ad Regem iudicesve ordinarios deferrent. Id quod inter homines eccleſiaſticos adhuc obſeruatur, quorum Archidiaconi moribus presbyterorum præfecti ſunt. Huc vſq; Fricius. De Ædilibus hic nil dicam, quippe cum cura illa & publicarum & priuatarum nunc temporis vbique penes magiſtratus, ſit, qui munerib. aliis deſtinati ſunt: Romæ olim erant magiſtratus ſingularis.

Tertium concilium ærario & annonæ præfici, volui. Sit conſtitutum hoc concilium ad Principis tam extraordinarios, quam ordinarios reci- *De tertio concilio, quod ærario & annonæ præfici debet.*

 pien-

piendos, colligendos, conſeruandos, & amplificandos reditus. Hoc concilium conſideratione & curam habeat, qua ratione pecuniæ extraordinariæ conficiendæ, vnde hauriendę, qua oportunitate petendæ: quaque via & tempore noua tributa & vectigalia ſint imponenda, augenda & multiplicanda: intollerabilia, damnoſa & ſuperuacua tributa remouenda eſſe quoq; Principi dicat. De impenſis quas Princeps vel belli vel pacis tempore facit, etiamnum cogitet, earumque curam habeat. Et licet ſciam, quoſdam politicos ſingulare quoddam concilium frumentarium conſtitui velle, quod annonæ præponi volunt; Ego tamen velim, vt illud concilium quod Principis ærario præfectum, & annonæ quoq; præficiatur.

Quapropter huius tertij concilij officium inſuper erit, pacis & belli tempore regno de annona proſpicere. Perſpectum igitur & cognitum ei ſit, quantum comeatus habeat Prouincia, quantum ſuperſit, quantum deſit, quantum mari, quantum terra aduehatur; vnde, qua via, quomodo & quo tempore apportetur. Hæc & id genus alia in tabula deſcripta habeat: eiuſmodi cōſtituto concilio hoc commodi Regnum habet, vt tam belli quam pacis tempore annonæ ſat &

mili-

milites & cœteri ſubditi habeant. Habeat quoque hoc concilium rerum venalium & nummorum curam. Sine hoc concilio multę reſpublicæ, teſte veteri memoria, ſunt perditæ. Talis concilij inopia, ſæpe, atque inprimis belli tempore inteſtina bella in rebuſpublicis excitata eſſe legimus & obſeruauimus. Vbi homines fame vexati & mortui, exercitus annonę penuria intollerabilique fame coacti aut militiam deſerere, aut pacem ſiue inducias, ſeu conſpirationes cum inimicis inire, aut contra ipſorum Principem armis vti, eiuſque oppida diripere, & cum aliis principibus & rebuſpublicis fœdus paciſci ſolent.

Hinc Princeps & authoritate apud exteros, & beneuolentia apud ſuos excidit: Hinc tota Reſpublica titubat, hinc periclitatur, mutatur, diminuitur; hinc labaſcit, perit, interit.

De huius concilij officio, vtilitate & neceſſitate ſententiam meam aperui, quam longiori ſermonis filo deſcribere poſſem: At referamus de hac re Fricij regni Poloniæ Politici mentem, qui quod monui pluribus docebit: Nemo eſt opinor, qui dubitet (ſcribit ille) magiſtratum pnecеſſariũ eſſe, qui in foro, hoc eſt, in reb. cõtrahendis ſit occupatus: qui omnia & domi nata factaq;,

& aliunde aduecta cognoſcat, preciumq; eis pro tempore imponat. Videat etiam, num conducat Reipub. vt frumentum & liquores ad menſuram venduntur: ita carnes, caſeos, butyrum, & id genus alia ad penſum vendi. Inprimis autem, res omnes & quæ importentur, & quæ exportentur, obſeruet: earum bonitatem exploret, modum & precium conſtituat. Sæpe vidimus tantum frugum numerum à nobis aſportatum, vt maximam vbertatem difficultas annonæ domi ſit ſubſequuta: neque vero annonæ tantum, ſed & carnium & caſeorum, & rerum aliarum. Fere enim ſit, vt frugum caritas efficiat caritatem rerum aliarum.

Ergo magiſtratus ad id deſtinatus, prouentu frugum conſiderato, & quanto Reſpublica frumento tam pro ſe quā pro aduenis egeat animaduerſo, modum exportationi conſtituat, ne noſtri agri aliis ſint fertiles, nobis vero ſteriles. Statuant & domi precia, ne qui abundant, pluris vendendo quam æquum ſit, & pauperum facultates exhauriant, & rerum aliarum precia augeant. Difficile eſt enim (vt dixi) cauere, quin cum precio frugum precium rerum aliarum creſcat. Laudandus eſt mos ille quarundā Rerumpublicarū in quibus frugum maxima vis (quo quidem

anni tempore quam minimo proſtent) à magiſtratu coemitur, ac in publica promptuaria recóditur: vt ſeu periculum ſit ab hoſte, ſeu res ſpectet ad annonæ difficultatem, proſpectum fiat vitæ hominū. Seruant enim multi negotiatorum fruges in longum tempus, vt pluris vendant temporibus ſuis. Sed huic rei occurri poteſt prudentia magiſtratus, ſi fruges quam minimo emptas, tūc ex promptuariis efferri iubeat, ac aliquanto pluris quam ſint emptæ vendat Nam & omne lucrum cedet. Reipub & negotiatores frumentarij cogentur minoris vendere in copia rerum, quam venderent in inopia. Itaque & de hoc conſtituendum eſſet, & illæ exportationes nimiæ moderandæ: quibus tanquam cibus ex ore tenuibus hominibus eripitur, aut certe caritas magna efficitur. Intoleranda eſt illa piſtorum coctorumque peruerſitas, qui eodem precio & panes & ceruiſiam in annonæ facilitate vendant, quo in magna caritate. Intolerabilior eorum, qui aduenæ pluris vendant quam ciui. *Aduenam* (inquit Deus ad Iſraelitas) *non contriſtabis, neque affliges. Fuiſtis enim & vos aduenæ in terra Ægypti.* Sed illa maxime omniū intolerabilis, quod per dies comitiales, ac in iis locis in quibus Rex cum ſenatu ac populi frequētia verſatur, multo carius omnia veneant, quam

aliis in locis. Cum enim conuentus eiuſmodi Reipub. cauſa agitari conſueuerint, certe vix ferendum eſt, vt tum vel mercatores maiores faciant quæſtus, vel illi plus pro rebus neceſſariis numerent, qui conſultant pro Republica. Quod de frugibus dictum eſt, idem de cera, ſeuo, corio, equis, bobus, rebuſque aliis intelligatur.

Multi exportatione earum & diteſcunt ipſi, & vbertatem copiamque ad exteros populos transferunt: interea apud nos fames in vulgus, ob penuriam & rerum caritatem.

Caupones magna licentia vtuntur vinis & adulterandis, & magno æſtimandis. Itaque magiſtratus, rationibus ſumptuum qui ab eis fiant animaduerſis, ac etiam lucro, quod æquum ſit permiſſo, & precia conſtituat, & in adulterantes animaduertat. In venditionibus & emptionibus quarumlibet rerum, ſi quid vitii de induſtria ab altero contrahentium commiſſum ſit, ne impune fiat.

Plato quidem in legibus iubet, vt tam venditor quam emptor, decem dies poſt res hincinde commutatas in vrbe maneat: vt ſi quod vitium deprehendatur vel in revendita, vel in nummis, præſtet damnum ille qui dedit. Reticentias etiam omnes quæ ab alterutro contrahentium de indu-

induſtria, nocendi cauſa, fiant, puniendas cenſet.

De his igitur, & rebus aliis contrahendis, magiſtratus eſt prouidere: rerum aliunde aduectarum bonitatem cognoſcere, precia conſtituere, opificum omnium operas æſtimare: monopolia etiam grauibus pœnis interdicere, quibus enormia precia rebus imponantur, pauci quidam plus nimium ditentur, multique ad inopiam redigantur. Verſatur autem vel ob hoc in magna turpitudine monopolarum nundinatio, q, merces emant, vt eas lucri cauſa vẽdant: eaſdem prorſus, & nihilo meliores factas. Iſti vel venditorem defraudãt, ſiquidem minoris quam æquum ſit ab illo emant: vel emptorem, ſi pluris illi vendant: vel vtrunque. Quod ſi nihil horum accidat, tamen animus ille, mercem emendi non vſus, ſed lucri cauſa, crimine vacuus eſſe nõ poteſt. Ex auaritia enim exiſtit, quæ multorum flagitiorum eſt mater. Laborant hoc vitio cũ pleriq; alii, tũ propolæ decumarũ: & ij quidem maxime, qui mercatorũ nomẽ & rationes ſupra modũ deteſtãtur: q ſola lucri auiditate adducti, meſſis tempore decumas coemunt: quas nec meliores factas, nec in alia loca, vbi añonæ penuria eſſet, trãſlatas, ſed iiſdem in locis vbi emerunt, plerunq; deteriores,

aut

aut certe acciſas, diuendunt, magnumque inde quæſtum faciunt. Quid igitur aliud mercatorem agere eſt, ſi hoc non eſt? Non vlna, qua quis metiatur pannos, vt vulgo putant: ſed quæſtꝰ & lucri ſtudium, quo ad emendum vendendumque duceris, mercatorem facit. Quod an abeſt in decumarum iſta quæſtuoſiſſima ac turpiſſima mercatura? Non raro accidit, vt decuma eadem quaternas aut quinas manus ementium & vendentium percurrat, priuſquam ad manus perueniat eorum qui ſunt vſuri. Qua in re illud eſt indigniſſimum, quod qui non laborant, illi prætextu dominii in res colonorum ſuorum, ſudores eorum redimũt: quas vel illis ipſis, nonnunquam inuitis, mox pluris vendant: vel cui velint: Coloni vero, qui diei onus & æſtum pertulerunt, de harpyiarum illarum manibus omnia expectare coguntur. Quid igitur miri, ſi & ipſi coloni maligne viuant: & grandia rerum omnium precia creſcant? Tales mercatores illi ſunt, quos diuus Chryſoſtomus de templo Dei cenſet eijciendos: quos leges imperiales â militia arcent: quos bonis ſpoliari, & exilio perpetuo damnari iubent. Atque idem Chryſoſtomus, non eos mercatores damnat, qui merces aliunde inferant, vitæ humanæ & Reip. neceſſarias; nec eorum negotiationem improbat, qui

qui rem emant, quam labore & induſtria ſua meliorem factam vendant: ſed eorum, qui rem comparent, quam carius vendant, nullo labore, nihiloque meliorem. Ego quidem iſtos, prædones potius quam mercatores, prædamque, quam faciunt, verius quam mercaturam appellauerim. Hi enim ſunt, qui & vendentes & ementes malis afficiunt: qui pauperes impediunt, quo minus res vitæ neceſſarias iuſto pretio emant: qui caritatem annonæ & rerum aliarum inferunt: digni qui ex republica exterminentur, per quos Reſpub. tot damnis affligitur.

Sint igitur mercatores; qui merces importent non ad luxum & pompam excogitatas: ſed honeſtis, ſobriis, ſalutaribus Reipub. vſibus neceſſarias: quarum precium iuſtum conſtitutu à Repub. fuerit.

Hæc de mercatoribus & monopolis. In re monetaria conſideranda videntur & materia, & pondus, & forma publica. Priora duo vulgo non ſatis agnoſcuntur, ac ne obſeruantur quidem in numis paruis: tertium conſpectu facile noſcitur. Verum quia nonnulli externi populi figuram noſtrorum numorum imitati ſunt, atq; hac ratione ſuos ad nos inuexerunt, videndum eſt, num ſit è Repub. formā noſtræ mutari. aliter enim exter-

ña vix exigi poteſt. Qui falſam & adulterinam olim cudebant, ad beſtias cõdemnabantur, ſi liberi erant: ſi ſerui, vltimo ſupplicio afficiebantur. Rationem etiam inuenire, ne pecunia extra fines exportetur, perutile fuerit: quod vix aliter fieri poſſet, quam ſi pluris, quam æquum ſit, æſtimaretur: quod tamen neſcio an conduceret Reipublicæ. Qui vel Romæ vel in aliis Prouincijs res agunt, magnam vim auri à nobis efferunt. Hoc ſi in totũ interdici non poteſt: tamen modum his rebus cõſtitui, optimum fuerit. Tanta licentia apud nos graſſatur numis peregrinis tum aureis tum argenteis æſtimandis, vt nuſquam maior. Singulis quadrantibus anni precium eorum creſcit, cum bonitati eorũ nihil interim accreſcat. Cauſas eius rei multi afferunt multas. Sed nos ſi non mouet vel publicæ vel priuatæ cuiuſq; rei iactura, quæ hanc numorum iactationem ſequitur: quid aliud mouere nos magis poſſit ad licentiam illam coercendam, & certam æſtimandi rationem ineundam, haud ſane dictũ eſt facile. Hæc huc vſque ille. Ad hanc narrationem acclamabat Princeps, Et, ô memoratu & monitu digniſſima, inquit, quæ retuliſti. His dictis, continuaui orationem meam, &, Quartum concilium, inquam, vocaui militare.

In

In hoc concilio ſedeant præcipue experti & veterani milites, præcipue dico; nec puto, nemini quicq̃ conſulere licere, cuius ipſe periculum non fecerit. Nunquid medicus parturienti mulieri cõſilio adeſſe pôt, niſi ipſe peperit? Sunt quidem licet militiæ nunquam interfuerunt, qui tamẽ cõſilium bellicum, nempe conſilium de belli ſuſceptione ac eius præparatione dare poſſunt, non ſecus ac medicus puerperam iuuare conſilio, licet ipſe non peperit. Audi Princeps celſiſſime, cerne mentem meam, & diſcerne: Veteranus miles de modo belligerandi, de prælio dando, hoſte fallẽdo, de expugnandis propugnaculis rectius iudicabit, quam is qui tantum literis eſt imbutus. Ipſę quoq; obſtetrices in pariendo exercitatæ, melius de partus actu eiuſq; periculis diſſerere & diiudicare poterunt, q̃ doctiſſimus & ſapientiſſimus Hippocrates aut Galenus. Nihilomin⁹ tñ literis, ſcientia politica & hiſtorica bene inſtructus & edoctus de re bellica dicere & conſulere poterit, quippe ex hiſtoriis cruẽtorum bellorum pleniſſimis multa ſalutaria monita eruet, & in mediũ promet. Huius porro concilij officium eſt, curare vt ciuitates ſint munitæ, regni margines, limites, fines à periculis tuti; Dein, & ſtipendiarij ſolaria certo tempore accipiant: nec non vt armamentaria armis,

De quarto concilio quod militare vocat.

totumque regnum inſtrumentis bellicis, cœteriſque reb. quibus in bello indigeat, tempore pacis iam prouiſum ſit. Hoc concilium Principis ſui potentiam ſcrutetur, nec non ſciat vires vicinorum Principum & rerumpublicarum, confœderatarũ, cœterarũq; omniũ, q̃ vel amicæ vel inimicæ ſunt, aut tales fieri poſſunt. Diligenter etiam conferat neruos virtuteſque & ſui Principis, & eius hoſtis. Inquirat in loca per quæ ſuus Princeps inimici regiones aggredi, & in ea, per quæ inimicus exercitus ſuos ducere, nec non ea, quæ facile inimicus in Principis ſui Prouincia petere poteſt. Calleat artem belligerandi, ex hiſtorijs memoriam habeat præteritorum ſeclorum bellorum & pugnarum. Inprimis ediſcat, memoriæque ſuæ fideliter infigat omnia bella ſui Principis & maiorum eius; quas demum ob cauſas illa mota, quî geſta, quî adminiſtrata, quî finita, & quibus demum conditionibus compoſita, probe animo ponderet. Statuta & leges condat, quomodo iuuentus pacis tempore exerceatur, vt bello ſe defendere, & inimico nocere ſciat. Veterum igitur exercitationes conſideret, eaſque cum hodiernis conferat. Intelligat quando pax bello, & quando bellum paci ſit præferenda. Non ignoret quomodo regnũ defendendũ, & quomodo inimico obuiam

obuiam eundum. In huius concilij conſiliariorum animo firmiter innixum ſit, quod à prudentibus & ſapientibus dicitur & docetur: Iniuſtiſſimam pacem ſæpe iuſtiſſimo bello eſſe meliorem. Necnon illud, quod, ſcilicet, Philoſophi fœlicẽ dicant rempublicam, tempore pacis de bello cogitantem. Probe conſiderent quod Aurelius Victor ſcribit; *Qui victorias petunt,* inquit, *armis, aut his cupiunt diteſcere, ſimiles ſunt iis, qui hamo aureo piſcãtur: Cuius abrupti & amiſſi detrimentum nullo capturæ lucro penſari poteſt.* Adijce, quod bellum facile, vt ille loquitur, ſuſcipiatur, at nõ ita deponatur: non in eiuſdem poteſtate eſſe finem, in cuius eſt initium: Incipere cuiuis etiam ignauo licere, deponere vero cũ victores volunt, oculis experimur. Syluam ſi quis accendit, non amplius ad ipſius arbitrium incendium ferri, ſed ventis regi: obuia quæque peruadere & conſumere, videmus. Ita quoque bellum audacia excitatum, non amplius authorum manu, ſed volubili & volucri fortuna regitur. Atque hæc ipſa fortuna tam anceps, tam lubrica & dubia eſt, vt leuiſſimus ſæpe caſus ex victo victorem, ex victore victum reddat. Sciat igitur hoc concilium profundeque conſideret, an & quando ſit belligerandum. Non inexploratum habeat iuſti belli iuſtas cauſas. Promptã ha-

beat rationem per quos bellum gerendum: qui duces, qui milites legendi ſint. Perſuaſum & perſpectũ ipſi ſit, vtrum pugnæ intereſſe Principem oporteat: item, quo loco bellum gerẽdum, & an illud offenſiuum, an defenſiuum. Teneat tanquã nomen ſuum ſuoſq; digitos, oĩa & ſingula ea, q̃ ad bellum gerendũ requiruntur. An, quando, cum quib. & quî fœdera ſint facienda, non ignoret; nec nõ omnia & ſingula ea ad fœdus requirentia. Ab ouo ad mala compertum ei ſit, an & quibus ſtratagematis in bello ad decipiendos hoſtes vtendum. Vtrum proditionib. vti in bellis liceat, an inſidiis, an vero marte aperto ſolummodo agendum? vtrum, cur, & quando cum hoſte protrahenda pugna? Et vt breuiter, q̃d mediter, eloquar, dico: hoc concilium ſcire debere, ſtatuo, q̃d ante bellũ ſapienter deliberandum & parandũ, quid in bello prudenter & fortiter agendũ, quomodo in victoria, quomodo clade accepta, quomodo inquã finito bello ſeſe Princeps gerere debeat. Huius cõcilij principi tam neceſſarius, tamque ampliſſim⁹ vſus eſt, vt in omni regno, in quo tale conciliũ haud eſt conſtitutum, Princeps ſuis in negociis bellicis vbique titubet atq; erret, nec non omnia ad fortunæ arbitrium reiiciat. Ille ſine hoc concilio, victoria obtenta tumide elatus tyran-

tyrannice & ſtulte abutitur: clade accepta, animum fragili & muliebri impatientia lamentis & lachrimis âbiectiſſimum & perditum prodit, atq; ad turpiſſimas inducias, iniquiſſimamq; & ignominioſam pacem deſcendit, & miſere victori ſeruit Linquo hic concilium hoc & ſermonis filum his verbis abrumpo: Sine hoc concilio militari infeſta, infauſta, & periculoſa in regno omnia.

De quinto concilio, quod ſanctius, ſecretius & ſuperius dicitur.

Porro, Quintum concilium nuncupaui concilium ſanctius, ſecretius & ſuperius. Hoc cæterorum omnium Caput, & ſuperintendens oculus eſto. Animaduertat hoc conciliũ in Principis vicarios ſeu vicePrincipes Et vt Furiꝰ vult, animaduertat in pſides, caſtrorum Præfectos, Centuriones, Conſiliarios, iudices, & alios miniſtros Principis, tam togatos quam ſagatos, an officiũ faciãt nec ne, an ſint vel exautorandi, vel retinẽdi: quales eligendi, & quales repudiandi ſint, deniq; ne vel in ſtipendiis vel commeatu quid falſi cõmittatur, videat. Pariter quoq; curet, vt impenſæ Principis ordinariæ & extraordinariæ, & belli & pacis tempore opportune ſoluantur: & vt cuiq; â conſilio quæſtorio ſatisfiat, iubendi poteſtatem habeat. In hoc ſanctiori & ſuperiori concilio, ad Principem ſcriptæ literæ inſuper reſignentur & legantur, atque ad alios Principes â Principe

exa-

exarandas ſcribi demandentur. In hoc concilio ea omnia proponantur, quæ ad ſummam reipublicæ & ipſum ſtatum pertinent, veluti de legib. condendis, abrogandis, conſeruandis, deque republica conſeruanda & augenda, de ſecuritate publica, de pace, de bello, de legationibus, de impij finib. de reipublicę amicis & inimicis, nec nõ de ſimilibus magni momenti negotiis, quæ hoc ſanctius, ſecretius, & ſuperius concilium ſolummodo ingredi & in eo tractari debent. Meminit ſanctioris concilij Iohannes Bodinus, cum ita ſcribit: *Habuerunt*, inquit, *Ætoli præter panætolium conſilium ſanctius, vbi arcana imperij tractabantur, de quo Liuius, ſanctius eſt, inquit, apud Ætolos conſilium, quos opocletos appellant, idem paulo poſt arcanum, hoc gẽtis conſiliũ, antea dixerat, legib. Ætolorũ cautũ eſſe, ne de pace belloue, niſi in panætolio & pylaico conſiliõ ageretur, ac tametſi Carthaginenſium ſtatus popularis eſſet, nihilominus, præter ſenatores CCCC. fuit aliud conſilium XXX. ſenatorum, qui diuturno rerum agendarum vſu prudentia præpollerent; de quo Liuius, Carthaginenſes, inquit, XXX. legatos ſeniorum Principes ad pacem petendam mittunt, id erat ſanctius apud eos conſilium, maximaque ad ſenatum regendum vis, eo conſilio Romani caruerunt. Itaque miratur Liuius, Græciæ & Aſiæ legatos qui Romam venerant, nihil eorum quæ Rex Eumenes in ſenatu contra Perſeum Mace-*

Macedoniæ regem egerat, ex tanto ſenatorũ numero intelligere potuiſſe. eo inquit ſilentio clauſa curia erat; ex quo intelligitur, poſt ea tempora nihil in ſenatu decretum fuiſſe, quod nõ peruulgaretur. itaq; ſenatores in arcanis imperij ſcribarum munere fungi, ac iureiurando ſingulos obſtringere cogebantur, ne res manaret in vulgus: nondum legibus pœna capitalis erat iis conſtituta, qui Principis arcana publicarent.

Quid autem eorum quæ in ſenatu agerentur latere potuiſſet, cum quingenti aut ſexcenti ſenatores præter ſcribas acta ſenatus intelligerent; at etiam prætextatis pueris vſq; ad Papirij tempora aditus erat in ſenatum. Auguſtus omnium primus ex ſenatoribus aliquot ſelegit, quibuscum deliberaret de rebus iis, de quibus in ſenatu decernendum eſſet. Poſt Auguſti mortem Tiberius à ſenatu petijt, vt viginti ſenatores ſibi darentur, à quibus conſilium caperet, de rebus iis quas ad ſenatum ferri oportebat.

Horum deinceps exempla ſecuti ſunt Imperatores poſteri, Galba, Traianus, Adrianus, Aurelius, Alexander Seuerus. Huc vſque Bodinus. De ſanctiori & ſecretiori concilio inſuper ita Cochirius ſcribit. *Sit verum,* ait, *ad rectam Reipublicę adminiſtrationem neceſſarios eſſe amicos. Amicos tamen ſpectatæ prudentiæ, induſtriæ, probitatis: ex iiſq; ſeligat nonnullos eximios, quos aſſiſtẽtes liceat nuncupare, numero paucos, quos ab intimis & ſecretis conciliis habeat, & ad quos negotia referat vr-*

gentia ſeu priuata, ſeu publica, vt de illorum ſententia conſtituat, poſtquam aliis etiam conſiliis ea fuerint expoſita & agitata. In hoc intimo cõcilio (conſiliũ ſiue conciliũ politicis Doctorib. cõmune eſt, altero pro altero vtuntur.) Principum, Legatorum, tribunorum, Imperatorum epiſtolæ reſignentur, ſuper iis reſponſa concipiantur, & iis, qui â ſecretis ſunt, exaranda mandentur: præmia, dona, largitiones, hiſque ſimilia curentur: denique mandata, diplomata Principis inibi expediantur, & comprobentur. Intimi huius, ſeu ſanctioris conſilij inuentorem fuiſſe poſt Ætolos Auguſtum Cæſarem ferunt. Quippe primum è ſenatu quindecim, mox viginti eximios ſenatorum legit, cum quibus (verba Tranquilli) de negociis ad frequentem ſenatum referendis ante tractaret. Namque maximus ille Cæſarum operæpretium exiſtimabat, cum paucis prius & per ocium communicare, quam de maximis rebus ad ſenatum referre. Auguſtũ alij poſtea Imperatores imitati ſunt, inter quos Tiberius, Galba, Veſpaſianus, Traianus, Adrianus, M. Antonius, Alexander Seuerus, de quo Lampridius ſcribit, eum nihil vnq̃ rei maioris decernere ſolitũ fuiſſe, ſine duodecim, aut, vt quibuſdam placet, viginti IC. in quibus Vlpianus refertur, & alij, qui id æui Principes erant Iuriſprudentiæ. Atq; hinc factum eſt, vt Imperator ille dictus, immo & cæteri tam fœliciter proſpereq; Rempublicã adminiſtrarint.

Neque id quidẽ mirum. Nam, qui ſapientũ conſiliis obtempe-

temperant, rem præclare gerunt, vt recte Iſocrates ait. Sane quod Anglia quadringentis his annis pace & bello, rem tam præclare geſſerit, Imperium propagarit, hoſtes profligarit, id ſanctiori, ſeu intimo cõſilio, (quod quindecim perſonis eruditiſſimis iuxta, ac nobiliſsimis conſtabat) imputandũ eſt. Quippe quod Reges nil fere quicquam decernebant, niſi de eiuſdem conſilij opinione atq; ſententia. Qua in re imitati ſunt non ſolum antedictes Romanorum Imperatores, ſed & Carthaginenſium Democratiam, quæ vltra quadringentos ſenatores concilium arcanum, ſeu intimum habebat, quod triginta eximiis ſenatoribus conſtabat, ſi Liuio credimus ſic ſcribenti: Carthaginenſes triginta Legatos, ſeniorũ principes ad pacem petendũ mittũt: id erat ſanctius apud eos conſilium, maximaq; ad regendum ſenatum vis.

Noſtra etiam ætate Philippus II. Rex Catholicus, antequam Hiſpanias, poſt contractum cum Henrici Regis Galliarum filia matrimonium repeteret, Ducißæ Parmenſi futuræ Gubernatrici Belgicarum Ditionum ſanctius ſeu arcanum conſtituit conſilium (præter ſtatus & Financiarum, vt vocant) quod duodecim IC. conſtare voluit, cuius Præſes fuit D. Viglius, vir ſanequam prudens, & noſtri ſtudij magnum decus & ornamentum. Sed quid multis opus eſt? adeo vbique inoleuit hoc inſtitutum, vt vel ipſi Turcæ tanquam Reip. vtiliſſimum recipiendum exiſtimarint. Etenim apud eos tres ſolent eſſe conſiliarij

 intimi,

intimi, qui ad Imperatorem omnia negotia deferunt, reſponſaque lata exſequuntur.

Hæc ex Chochirio, vti memoriæ mandaui, recitaui. His dictis, altiori voce; hæc ſunt inquam, Princeps Auguſtiſſime, quinque concilia, quæ ad magni Principis Regni gubernationem & ſumme vtilia, & ſumme neceſſaria putaui.

Vtilitas diuiſionis conciliorum. Conſultum eſt, vt concilia diuiſa & diſtincta; ſuperiora & inferiora; ſecretiora & nimis ſecreta habeat omnis Princeps, vt ſic melius citiuſque tot negotia expediantur; vt Princeps negotiorum multitudine, & infinita ingentique mole exoneretur, vt ſubditi demum à cauſarum nimia proſequutione liberentur, & conſiliarij paucioribus occupationibus, haud nimiũ obruti, fœlicius negotia expediant. Nam cum vnum cõcilium omnes cauſas, omnia negotia ſuſtinet; ſub tanto onere ſuccumbet & obruetur: hinc cauſæ haud, vt decet, expediuntur, res omnes tardiſſime eunt: & multi ſubditorũ ſollicitantiũ nimiũ & tẽporis & ſumptus impendunt & perdunt. Recta ratio multis, ꝑpetuis, innumeriſq; laborib. impedit. Singuli ſingula rectaq; negotia expediunt.

Inuectio in eos qui ſoli omnia ſcire & expedire volunt. Nemo multa ſimul & recte curabit. Ambitioſos & Reipublicæ exitioſos eos conſiliarios habeo, qui vni omnia negotia expedire conãtur. per-

perniciosiſſimus ille, qui vnus ſolus. Ratio dictitat, imo natura hoc docet, rectius ac melius negotia à multis quam ab vno cõfici: reſpiciamus manus; hæ in multos & diſtinctos digitos diuiſæ, ad negotia peragenda magis celerem & fœlicem vſum habent, quam ſi vno tantum digito præditæ eſſent. Natura benigna & ſapiens mater non vni omnia, ſed ſingulis diſtincta dedit officia: ſoli vt luceat: igni vt ardeat; aquæ vt humectet. Væ Principi, ſi officia diuerſa vni conſiliario, væ & væ Principi, ſi negotia & officia omnia vni conſiliario expedienda & obeunda iniungat, vel expedire & inire vnum, patiatur. Hoc ego in cuiuſdam Principis aula in quodam conſiliario Principi ſuo intimo cum ſummis reipublicæ malis haud cito abolendis dolore magno obſeruaui. Solus qui omnia regere vult, ſolus qui Principi conſulere vult, ſolus qui apud Principem in præcio eſſe vult, locupletari vult, votis ſuis potiri vult, ſolus qui omnia ſolus & vnicus eſſe vult, quid putas Princeps Auguſtiſſime, nunquid ei curę ſit publicum, nunquid ei curæ ſit reipublicæ ſalus? Næ ille non ſolus Principi ſiue reipublicæ ſeruit, ſed ſolus ſibi ſoli, ſiue ſuo commodo ſoli, ſiue ſuæ ambitioni ſoli, ſiue ſuæ auaritiæ ſoli, ſiue ſuis votis ſolis.

Maior adeſt & plena duobus:
Pectoris atq; animi præſtantia. copia rerum
Vberior: vis conſilij præſtantior omnis:
Dum nunc hic nunc ille aliquid quod & vtile credat,
Inuenit: Alter & alterius ſæpe indiget vſu.
At qui ſolus erit, ſi forte quid vtile rebus
Cogitat inueniatque animo perſæpe labanti
Deficit & timidum fugit omnis conſilij vis.

Sicut filij etiam deformes placent: forma ſua in aquis conſpecta in rabiem equæ aguntur: ita ſuo, vt ille ait, amore nimio qui laborăt, propriis conſiliis à natura afficiuntur, fidele aliquod foris per conſultationẽ non deſiderant: quod & ſecuritatem animo paret, & in rebus firmitatem firmet. Neque quiſquam tam fœlici fauſtoque vnquam natus ſydere fuit: qui vnus aut cuncta viderit, aut etiam bene vtiliterq; inuentis tuto fidere fuerit auſus: niſi hæc ipſa cum aliis communicauerit. Quin & cœteris in rebus ita comparatum eſſe nouimus: vt, quod vni deeſt, mutua quadá cõmunione ſuppleatur. Ne longius abeamus, ſed nos ipſos ſolumodo contẽplemur; cur duplices nobis sũt datę manus, aures cõceſſæ ſocię, gemini oculi tributi: bini ſuppeditati pedes: niſi, vt ꝙ eſt pagendũ, melius atq; robuſtius ſocietate pagatur? Ac ſane illos ruinæ vicinos magis iis eſſe vidемus; qui cum aliis ſua conferre conſilia erube-

ſcũt; detrahi ſic aliquid authoritati ſuæ autumãt: dubij interim incertique hinc inde vagantur: nec pedem vbi figant aut conſiſtant, reperiunt. Memorabile eſt quod apud Plutarchũ de Metiocho quodam, omnia agere volenti Athenis ciuium ſermone circumferebatur: *Metiochus exercitum ducit: Metiochus vias curat: Metiochus farinam tractat: Metiochus cunctis alijs præeſt: Metiochus itaque plorabit:* qualis plerumque exitus illorum, temeritate vel ambitione quadam agere oĩa cupientium. Et nũquid hodie, dum hæc diſſero, in aurea & diuina illa aula viuum, clariſſimum & nobiliſſimũ in N. videmus exemplũ? ô miſere miſerũ illũ hominẽ, ꝗ totũ principatũ vnic⁹ vnice regere conabatur! in carcere iam eſt viuus ſepultus & ciuiliter mortuus eſt. Apud Hiſtoricos laudatur Ludouic⁹ Vngariæ Rex, qui à Caſimiro Polonorum Rege in regni ſucceſſionẽ adoptatus, petẽtib. Polonorũ legatis, & Vngarorũ Procerib. vt regnũ ſuſciperet, reſpõdit: nõ ſatis ſe intelligere, neq; hos ꝗ ſuadeant, neq; illos qđ petãt. E neutrorum n. re id fore: ſicut neq; duob. quidẽ gregib. expediat vnũ paſtorẽ habere. Duas Reſp. vix vlla ratione ſine alterutrius, ſiue adeo vtriuſq; malo & incom̃odo vno adminiſtrari poſſe. Hoc meus Princeps, meique conſiliarij capiant, ſapiant illi, & ne cum Metiocho plo-

rent,

rent, ſed cum Rege Ludouico tranquille lætentur, à multis non ferendis oneribus abſtineant.

Per gradus eſſe ducendos conſiliarios.

Neq; hiſce meis verbis diſſuadere volo Principibus; vt conſiliarios per gradus ducant ſiue promoueant, ſed omnino hoc volo, vt ſcilicet ille conſiliarius, quem Princeps in ſanctius, ſecretius & ſuperius concilium, quod cœterorum omnium caput dixi, vocat, antea in cœteris quatuor conciliis exercitatus fuerit, & in quolibet aut paucos, aut ad minimum vnum, annos. Hoc valde opus eſt, quippe cum hoc ſuperi[9] cōcilium cœterorum regens & inſpiciens caput eſt. Ad hęc verba, ſatis abundantem ſermonem de concilijs, Eluere mi, dixit Princeps, habuiſti, ſatis imo vberrime de hac re locutus, ſatis dilucide & perſpicue diſſeruiſti.

De conciliorum loco & tempore.

Necquicquam reſtat, ſi modo de conciliorū & loco & deliberationum tempore pauca addideris. Tum ego: Quibus locis ac temporibus ſenatus haberi debeat, cum Iohanne Bodino inquam, parum admodum intereſt, cum rerum gerendarum variæ occaſiones ac oportunitates locum ac tempus ſæpe definiant: Laudabile tamen eſt inſtitutum Lycurgi, vetantis picturas ad ea loca in quibus ſenatus conſilia caperet, adhiberi; propterea quod rerum earum quæ ſub aſpectum

cadunt

cadunt oblatæ ſpecies, mentem, quæ ad conſilia intenta eſſe debet, ſæpiſſime diſtrahere ſolent. Optandum etiam illud eſt, vt ieiuno ſenatu conſilia capiantur, neque enim ſatur quiſquam recte conſilium dabit. De hac re itidem Keckermannum ſic ſcribere memini: *Quod ad tempus & locum concilij attinet*, inquit, *certum eſt, in ſolennioribus & ſtatis conſultationibus tempus matutinum præferendũ, & locum à ſtrepitu ſemotũ ac talem, qui ita ſecretus ac abditus ſit, ne curioſus aliquis cõſultator obſeruare poſsit quid tractetur. At vero in repentinis conſiliis*, inquit Gueuara, *neutrum eſt magnopere attendendum, ſiue enim in campo, ſiue in media luce ac nocte occurrat id, quod perpendendum & decidendum eſt, non eſt expectanda hora matutina; non item quærendus locus ad conſultandum opportunus.* Tum nõ debet conſiliarius Principi reſpondere: De mane conſilium. Sub mano tunc naſcatur conſilium oportet.

Hæc hucvſque de perpetuis Principis conciliis dicere habui, vbi publica illa concilia quæ comitia vocantur, ſolemnes illas conſultationes & generales omniũ in regno ordinũ conuentus nõ tetigi. Quæ tamen tacito haud prætercam pede, paulatim & breuiter ita nunc libabo. Comitia voco illas conſultationes ſiue concilia rariora & vniuerſalia, ad quæ non tantum Principis con- *De publicis conuẽtibus & conciliis quæ comitia dicuntur eorũque neceſſitate & vtilitate.*

 ſiliarij,

ſiliarij, ſed & omnes ſiue præcipui principatus ſeu Reip. ſtatus & ordines conuocantur, & de cauſis grauib. ad Reip. ſalutem pertinentib. conſulunt. Vocantur *comitia*, quaſi *comtia*, qđ ſcilicet omnes reipublicæ ordines conueniant à principe, vel ijs, Principe mortuo Principis vices adminiſtrantib. conuocati. Iacobus magnæ Britanniæ Rex in quodam libro, comitia vocat ſupremam Regis curiã, ſum̃umq; tribunal, & iurisdicendi locum; q̃a, inquit, inſtituuntur propter ſanctionem vniuerſalium legum, & grauiſſimorum delictorum executionem ſiue pœnam. Indicuntur & vocantur comitia, teſte Petro Gregorio, non qđ Monarchæ Reges & Principes abſoluti leges condere, vel tributa exigere, vel inſolentes punire, atq; adeo rem publicam corrigere non poſſint, niſi neceſſario & tantum in comitijs: ſed ꝓpterea, quia in ijs omnia iſta facilius obtinebunt, & quia Imperatores & Reges his publicis conuentib. & comitiorum conſiliis vſi, optime ſibi commiſſos populos rexerint.

Abſolutus princeps etiã ſine comitiis leges condere poteſt.

Et licet abſolutus Princeps etiam ſine comitiis & concilijs publicis & generalibus etiam ſine conſenſu ordinum & populi leges condere, tributa ponere, bellum indicere, pacem inire, & reliqua regni negotia ſolus peragere poſſit, humanius, ſapientius & melius tamen agit, & tanquam

Patriæ

Patriæ pater, ſubditos ſiue filiolos ſuos in amore, beneuolentia & obedientia retinet: & ſic affectum paternum, quaſi in totius reipublicæ conſpectu ſignificat. Hinc, incredibile dictu eſt, inqt Bodinus, quanta gratulatione principem comitia habentem plebs intuetur! Et eſt æquiſſimum & iuſtiſſimum, vt, priuſquam bellum ſuſcipitur, conſilia cum iis communicentur, cum quorum facultatibus, cum quorum vita & ſanguine bellũ geritur. Diuerſi ſunt principatus & regna: quędam abſoluta regna ſunt, quædam limitatam poteſtatem habentia. In illis Princeps libere ex ſola, nuda & pura voluntate comitia conuocat, adde quod in ijſdem nihil, qđ diſpliceat Principi, ſtatui poſſit; in iſtis vero neceſſario coguntur comitia, atq; quam plurima in ijſdem non vſq; quaq; aſſentiente Principe concluduntur. Comitiorũ cõuocandorum ius, eſt ius maieſtatis. Nec imminuunt abſoluti Principis poteſtatẽ comitia, ſi cũ maieſtate indicta: aliter dicendũ eſſet, ſi humiliter petenda. Satius porro eſt, vt frequẽtius, q̃ vt rarius comitia fiant. In aliquib. rebuſpublicis ſtatis temporibus, certiſq; añis inſtitui ſolẽt: plerũq; temp⁹ hybernũ deligit͛, ne ordines in negotiis aliis, æſtiuis mẽſib. occupati abſtrahãt͛. Cœterum comitiorũ ꝓceſſ⁹, ꝓ reip. more in quouis Principatu & vbiq; ferme

talis eſt, qui ordinariorum & perpetuorum Principis cõciliorum; In quibuſdã rebuſpublicis certus illis & perpetuus aſſignatus eſt locus, in quib. pro rerum commoditate locus vna cum Comitiis indicitur. In hiſce generalibus conuentibus & cõciliis ſiue comitiis œcumenicis cognoſcet Princeps oĩa vniuerſa & ſingula ſcitu neceſſaria, quæ per Regnum ſiue Remp. fiunt; Præſides guberna tores & conſiliarij boni defenduntur, & mali accuſantur. Hic eccleſiaſtici, nobiles, plebei liberrime conqueruntur, & ad votum audiuntur. Ob ingẽtes vtilitates & cõmoda ex huiuſmodi comitiis proficiſcentia, tales conuentus generales oẽs boni Principes, omneſq; bonis legib. cõſtitutę reſpublicæ, (ſi fides hiſtoricis habenda) frequenter habuerunt. De hac re q̃ infinita sũt, q̃ enarrare & monere poſſem. At quia ꝓpoſitum mihi eſt, de ꝑpetuis Principũ conciliis ſaltem dicere, hæc leui digito per tranſcurſum tantum attigiſſe ſufficiat, nec poſthac illorũ mentionẽ faciam, ſed ad perpetua modo enumerata concilia eorumq; conſiliarios & conſultationes reuertar. Quod ſupra de comitiis dixi, quod abſoluti Principes, Reges & monarchæ etiam ſine comitiis leges condere, tributa exigere, vel inſolentes punire, & rempublicam corrigere poſſint; idem etiam de perpetuis

quinq;

quinq; modo enarratis conciliis intelligendum eſt.

De hac re, cum Petrus Gregorius bene diſſerit, non meis, ſed illius hic vtar verbis: *Apud Politicos quæritur; Num monarcha, ſine concilio poſſit de rebus grauioribus regni ſtatuere? & ſunt,* ait, *qui cõtendant monarcham ſolum, ſine conſilio poſſe de rebus etiam grauioribus ſtatuere, vt de bello, pace, aliiſque negotiis ſimilibus; alij negant, & in negotiis illis arduis eum non eſſe ſuturis putant. Ego priori ſententiæ, ſed cum temperamento, accedo. Quia Romæ populus cum ſe abdicauit ſtatu Democratico, lege Regia in Principem tranſtulit omnem poteſtatem quam habebat Dedit & Deus regi populi ſui omnem poteſtatem: videlicet quando abſolute monarcha quis eſt, & per nullam legem electionis de eo factæ, tenetur adhibere neceſſario conſilium ſuorum ſubditorum: alioquin enim cum adit imperium, legibus illis ſe adſtringens, eas ſequi tenetur: loquitur itaque de rege, & Principe, qui ſupremam habet poteſtatem, & abſolutam, & non recognoſcit in ea ſuperiorem alium quam Deum, & rationem. Dicoque huiuſmodi Principem, neceſſario non teneri adhibere conſilium, vel ſubditorum, vel aliorum, ſi nolit in quibuſcunque negotiis. Verum dico illi expedire, vt melius, tutius & diutius imperet, conſilio prudentum, & expertium in negotiis gerendis, vti. multa enim licent quæ non expedit agere: ſunt & quæ certo modo licent, & non aliter. Poſſet*

Num monarcha ſine conſilio de rebus grauioribus regni quicquã ſtatuere poſſit.

quilibet præcipitem ſe dare, & necare, & ſe conſeruare. Præcepta bene viuendi, bene imperandi, à Deo & ratione humana dantur principib. ad conſeruandũ, nõ ad perdendũ, vel opprimendum populum ſibi ſuppoſitum. Quamobrem, ſi Princeps ſatis eſſet natura propria ſapientia ad imperãdum commoda, inſtructus, vt quæ facienda ſunt, videat, ſciat, & velit imperare, & præſcribere licet.

Verum melius faciet ſi non in omnibus, potiſſimum quæ ancipitem habent aleam, ſibi ſoli credat, ſed adhibeat aliorum plurium, eorumque qui eũ iuuare conſilio poſſunt, auxilium, quod poteſtati eius, nec auctoritati quidquã detrahat: cum nõ coacte, ſed ſponte id faciat. Salus, vbi multa conſilia, inquit Sapiens: periculoſumq; eſt ipſi Principi, ſibi ſoli fidere, cum poſſit eius recta ratio, vt cuiuſque etiam ſapientis viri, odio, amore, ira, concupiſcentia, auaritia, ambitione, ignorantia negotiorum, intercipi. Facit & philautia ſeu ſui complacentia, & præſumtio, vt cæcutiamus circa nobis placita. Principes certe homines ſunt, nec humanam naturam exuunt adepto principatu, & ita errare, & decipi, ſe poſſe humanitus, credere debent. Hæc hic huc vſque ille, cuius ſententiæ adſtipulor.

Interrumpitur de conciliis oratio, dum nauta irrumpit & principem alloquitur: & de lubrica hominis conditione philoſophandi præbet anſam.

Ad hunc orationis meæ filum, & cum adhuc loquebar, crepuit oſtium impulſum; ianua aperta, ſtetit in limine barbis prolixis & horrentibus nauta, vnà cum quibuſdam Principis miniſtris,

niſtris, in caſulam intrat, & triſtius ſupercilium contrahens, conuerſis omnium in ſe vultibus auribuſque mæſtus narrat, qui priori nocte ſcientia rei militaris eruditiſſimus & expertiſſimus vir Henricus Bredicouius, Principis exercituum ductor in fluctiuomo & procelloſo mari naufragus perierat.

Suſpirauit ad hunc ſermonem Princeps, dein turbato vehementius vultu, manibuſque vſque ad articulorum ſtrepitum contritis, & digitos articulis innectens, necnon ad vmbilicum inuerſas cum lacertis manus dimittens; Tandem multis gemitibus in lacrimas effuſus, & quænam eſt, inquit, hæc mutatio, quæ viciſſitudo? Poſt hæc pectus manu percutiens, caputque in ſiniſtram humerorũ partem inclinans, nec immerito, ait, mortem tuam optume Henrice Bredicoui hiſce verbis defleo, quibus Petronius Licæ interitum deplorauit: *Vbi nunc eſt iracundia tua? vbi impotentia tua? nempe piſcibus belluiſque expoſitus es, & qui paulo ante iactabas vires imperij tui, de tam magna naue ne tabulam quidẽ naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudib. captas per mille annos diſponite.*

Nempe hic proxima luce patrimonij ſui ratio-

rationes inſpexit: nempe diem etiam quo venturus eſſet in patriam animo ſuo finxit. Dij deęque, quam longe à deſtinatione ſua iacet! ſed nō ſola mortalibus maria hanc fidem præſtant. Illū bellantem arma decipiunt: illum diis vota reddētem penatum ſuorum ruina ſepelit: ille vehiculo lapſus properantem ſpiritum excuſſit. Cibus auidum ſtrangulauit, abſtinētem frugalitas. Si bene calculum ponas, vbique naufragium eſt. Dixerat Princeps, & hoc ſermone incertam, lubricam & caducam hominis conditionem ſermone paulū attingens, lacrimas mihi pene expreſſerat; Et exclamans, heu, heu, quid aut mortalis homo eſt, inquam, aut omnia iſta, in quæ ſudat, in quæ anhelat, in quæ laborat! Quid eſt quod fortuna audaciſſimo non detrahat, quod non quatiat, quod non diſcutiat: Bellū in media pace excitat, mortem in media vita approperat, ſubitas & periculoſas tempeſtates in lœta tranquillitate mouet; Vbi modo in mari naues luſerunt, poſt horam perierunt. Incerta mortalium omnia, excepta re vnica, morte, quæ cunctis rebus incertis certa eſt. Hoc cogitandum, hoc animo ponderandum, & animus aduerſus ea omnia, quæ aliis accidunt, & nobis euenire poſſunt, firmandus eſt. In caſus attendendum & intendendum; Caſus aſpiciendi

& in-

& inſpiciendi, exilia, tormenta, bella, naufragia, morbi, mortes. Hæc omnia, inquam, inſpiciẽda ſunt ſapienter & deſpicienda fortiter, nec non conſtantia animus muniendus, imo ſic animus corroborandus eſt, vt quies ſit in mediis turbidis, vt pax ſit inter media arma, vt tranquillum ſit inter medios fluctus & procellas. Adhuc proloquebar ego, cum mitiſſimus princeps mota vna manu, ſic eſt, inquit, conſtantia animo imprimẽda eſt, tentandus & ſollicitandus animus, vt cum dubiæ fortunæ violentiſſima haſta, prudentia & patientia magis, quam queſtibus, lamentis & planctibus certemus. Nil iuuat plorare, femur & caput percutere & damnare. Dein ad nauclerum, miniſtroſque verſus, vt Bredicouij corpus mortuum in vrbem portarent, iuſſit, &, ſe defunctum exequiis honorificis proſequuturum, benigne promiſit. Dum hæc eximie eximius Princeps loquutus eſſet, ſermonis pauſam aliquam faciente, tandem voce & geſtu alacrius ad me erumpit, & filum illud, inquit, ſermonis tui de cõciliis, quod Neptunicola & ſulcator ille nauta tremula & querula narratione abrupit, tu Eluere mi, pertexas haueo: Et cum ſufficienter de conciliis dixiſti, conſequens eſt, vt de qualitatibus, quibus conſiliarij præditi eſſe debeant, mentem tuam

M pro-

prodas: hoc vt facias te rogo. Hanc clementem, blãdam, benignam inuitationem, in alimentum flammæ trahebam. Inuitatio inſtar fomenti erat, calefaciendi animum, & aperiendi linguam, vt alacrius & liberius de iſta re dicerem.

Nullo igitur interuallo ſermonis, ſubito proloquutus ſum: & nõ rogandus ſum, inquam, ſed imperandus: ad oculi iactum promptus ſum, verbis tuis inſuper calcar addis volenter & ſitienter currenti. Ego candidi candoris candidatus, apertis & candidis tibiis tibi candido pectori, candidam ſententiam meam candide dicam, qui & te & tuum ſermonem, candorem & fauorem ſpirãtem ſuſpicio, honoro & veneror.

De animi qualitatibus in cõſiliarius requirendis.

Qualitates, quibus conſiliarij præditi eſſe debent, dupliciter conſiderantur. Eæ enim & animi ſunt, & corporis ſunt. At primum de qualitatibus animi; deinde de qualitatibus corporis ſermocinabor. Primam qualitatem ſiue habilitatẽ voco alacritatem Sit omnis conſiliarius ingenio alacri & celeri præditus.

1. Animi qualitas eſt Alacritas.

Alacritas enim & initium, & medium, & finis eſt præclararum actionum. Quid omnis virtus (quæque illa ſit) ſine alacritate? ſine alacritate vi ſua virtus deſtituitur. In hebeti & ſtupido ingenio parum, quam plurimum in alacri & excitato docto-

doctores proficiunt. Hebes ingenium inſtar agri natura ſterilis eſt, licet ille ſæpius colatur, ſuccum tamen haud habens optatos fructus labore dignos non reddit.

Nec vbi ingenij vigor deeſt, virtutis præſtantes fructus ſperandi ſunt.

Magna, grauia & ingentia pondera, mortalium vires ſuperantia facile machinis mouentur, leuantur, tolluntur & ponuntur; Ita quoq; quod viribus aliis nequimus, id ingenij alacritate efficimus & præſtamus. Signa alacris & boni ingenij hæc ſunt: in dicendo argutum eſſe, in reſpondendo promptum, in accipiendo facilem, in docendo clarum, in iucundis ſuauem, in ſeriis cautum: Cum bonum ingenium bona & mala videt, bona laudat & complectitur; mala fugit & repræhēdit. In aliarum rerum negotijs altum ingenium occupatur; ſcitu neceſſaria & vtilia videre, ſcire & compræhendere geſtit.

Præterita demum non ignorare, præſentia intelligere, futura prædicere, ſeu de futuris iudicare nititur. *Animi & ingenij celeres quidam motus*, ait Tullius, *eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ordinandumque ſint vberes, & ad memoriam firmi & diuturni. Neminem excelſi ingenij virum*, teſte Seneca, *humilia delectant*

M 2 *& ſor-*

& ſordida: magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat. Tale ingenium nouas perſuaſiones adiicit innatis, & deprauata corrigit. Sunt Doctores politici, principi ſuadentes, vt in eligendis conſiliariis ſummam habeat rationem, & inprimis in ingenia oculum intendat, vt aptiora ſibi adſciſcat, qualia ſint media, haud prægrandia, haud acria, & acuta, haud nimis ignea. De his Lipſius: *cum modo acuti*, inquit. *Qui nimis acuti, fugio: & arcanum illud dogma ingero:* οἱ φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις: *Hebetiores, quam acutiores, vt plurimum, melius remp. adminiſtrant. Cauſſa: quia ſubtilia illa & ignea ingenia in aſſiduo motu, nouandis quam gerendis rebus aptiora.* Hæc ille. Adijce illud Senecæ; *Magnum ingenium ſine mixtura dementiæ rarenter inueniri.*

Οὐκ ἀζήμιον εἶναι γνώμην λίαν σοφήν.

Mens quæ ſapit nimium, non ſine damno ſapit.

Hanc ob rationem, non tam acerrimi & ignei ingenij quam mediocris, probi & ſinceri iudicij viros eſſe eligendos, doctores docent: Quam opinionem ſiue ſententiam hoc ſimili confirmare conantur, vt aptior ſit aſcia, dicunt, quæ aciem habet paulo obtuſiorem, quam acutiſſimam: ita eum ad res agendas multo eſſe præſtantiorem, cuius mens non nimis ſit ſubtilis & acris. Dein, q^d^

magna

magna ingenia, non aliter atque arbores plurib. quam conueniat fructibus grauidæ, nimia vbertate luxurient; nec omni negotiorum genere apta ſint, neque ſatis fœliciter ſeſe variis hominũ ingeniis & ſtudiis accõmodent. Et dicunt, quod conſilia calida & àudacia plerumque prima ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia ſint.

Cauſas inſuper, ob quas præacutà ingenia, præter iam dictas, minus admittenda ſint, ſunt apud Chokirium iſtæ: inprimis quòd expediti non ſint conſilij, magis diſputantes quam concludẽtes, & nouandis (vt ſupra iam dictum) quam gerendis rebus aptiores: Nam *præmultiplici inuentione*, vt ille ait, *& rationum copia plerumque natant, & ægre expediunt aliquid, cum inſiſtant.* II. quod eiuſmodi ingenia obſequij ſæpiſſime ignara ſint. III. quod ſemper perturbationibus agitentur, moueant ſemper aliquid, & nec quieta, quieta ſinunt. IV. quod ea ſibi proponunt, quæ non ſunt, non erunt; & mentem conſiliaque aduerſarij ęſtimant à ſubtili ſua mente. V. quod in conſilio, aliorũ ſententiis haud libenter acquieſcunt, vnde peruicacia optimorũ conſiliorum inimica.

Ideo aperte CLEON Atheniẽſium Dux dicebat, imperitiores homines ſi cum peritioribus conferantur, Rempub. plerunq; melius adminiſtrare,

nam iſti quidem, & legibus ſapientiores videri, & in publicis conſultationibus ſententiam ſemper obtinere volunt, quaſi in aliis maioribus reb. ingenij ſui vim oſtentare non poſſint, atq; proptc rea plerunq; Reſpub. euertunt; Illi vero quia ſuæ peritiæ diffidunt, illius, qui recte ſententiam dixit, à ſe vituperari non poſſe vltro fatentur.

Itaque Reſpub. plerunque recte adminiſtrant: quia ſunt æqui rerum æſtimatores, potius quam concertatores. Mea, sereniſſime Princeps, ſententia eſt, non ſtupidos & hebetes viros in conſiliarios eſſe eligendos, ſed alacres & acutos, at cum modo & tempore acutos. His pauca acutiſſima & ignea ingenia adiungat Princeps, quibus in ſubitis & inprouiſis caſibus, vbi non longa, ſed celerrima deliberatione, ſed ſubito conſilio, ſed improuiſa electione, quid faciendum aut omittendum, opus eſt, Princeps vti poſſit, vbi ſcilicet non quærenda, ſed rapienda ſunt conſilia. Princeps meæ ſententiæ annuens, & adfirmate bene dixiſti, inquit, Eluere, quod tunc temporis ignea & acutiſſima ingenia vſurpanda ſint, vbi ſunt rapienda, & non quærenda conſilia.

Ex experientia hoc habeo, veriſſimum & optimum hoc eſſe conſilium. Nam vbi non opus eſt celeritate in ijs negotijs meliores ſunt hebe-

tiores

tiores & tardiores acutis conſiliarijs. Vbi vero celeritate opus eſt, meliores ſunt acuto & igneo ingenio præditi.

Iſti præ illis illuc mittendi ſunt, vbi (vt dixiſti) conſilia ſunt rapienda, haud quærenda, ſiquidem quid factu cito opus eſt, citius ignea & acutiſſima ingenia reperiant, quam tarda & hebetia. Sed perge ad qualitates cæteras.

Pauſa hic aliqua ſermonis; dein, Eloquentia etiam conſiliario apprime neceſſaria eſt, dicebam; quæ qualitas ſecunda eſto. *2. Animi qualitas eſt Eloquētia.*

Conuenit enim conſiliarium non tantummodo præclare ſentire, prudenter intelligere, ſapienter iudicare, verum etiam quæ recte ſentit, eadem & bene apteq; ad perſuadendum enunciare. Cum homines ratione & oratione à brutis animātib. differant, haud inconueniens eſt, vt prout qſque ipſis brutis excellentior eſſe vult, ita dicendi eloquēdiq; gratia & arte, illis ēt præcedat, excellat & prçualeat. Adijce qđ veteres, quanto quiſq;, teſte Quintiliano, plus dicendo poterat, tanto plus apud Prīcipes gratiæ, authoritatis apud patres, pl⁹ notitiæ ac nominis apud plebem parabat. Sit itaque eloquentia præditus omnis conſiliarius. At quo fine? Ad populum flectendum & mulcendū atque in ſententiam ſuam trahendum. In ſeditionibus

nibus namque exercitus, in tumultibus populi, in aliis, varijſque factionibus quanto quiſque eloquentior & facundior, tanto ad motus ſedandos accommodatior, aptior & fœlicior eſt. Ad legatis reſpondendum, ad proponendum, cum exteris negotia tractandum; inſuper ad accuſandum, ad defendendum, ad laudandum, vituperandum, gratulandum, condolendum atque ad res ſimiles ſumme neceſſaria eſt eloquentia. Potens eſt eloquentia, quod fabula illa de Orpheo indicat, quæ ſcilicet bruta animalia, greſſus ſiſtere, & lapides mouere poſſit.

Πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος,
Ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν:
Cuncta ſermo conficit,
Quæcunque ferrum efficere poßit hoſtium.

De Demoſthene ſcribitur, eo eloquente Græciam vniuerſam, pacem & bella ſuſcepiſſe, ſuſcepta depoſuiſſe, fœdera cum Regibus iunxiſſe, con iuncta diſſoluiſſe. Rex Pyrrhus dicere ſolitus, plus ſibi vrbium illius lingua, quam armis ſuis partum eſſe. Ferocem & armatam plebem Romanam, quæ regibus exactis ſeditione diuiſa, ſeceſſerat à patribus, & ſic diuiſum & miſerrimum populum P. Valerij breuis oratio, in primum reduxit ſtatum, & verbis facundis, teſte Valerio Max. ira, cõſternatio, arma ceſſerunt. Furius Camillus qui po

pulum Romanum migrare Veios volentem oratione retinuit,atq; ita & oppidum ciuibus, & ciues oppido reddidit. Quare, magiſtratus, inquit Plutarchus, tractant populum admodum inſolentem, delicatum, contumacem,non obedientem in omnibus: ideoq; neceſſe habent verbis & oratione multa fingere ac conformare: non pauca,quæ impedimento ſunt,velut nodos quoſdam in ligno,aut abſceſſus in ferro mollire ac læuigare.Sunt preterea vires,inquit Iunius, Eloquētiæ multæ ac magnæ: veritatem ac iuſtitiam defendit:leges,iudicia,iura deſcribit: hominum tenet cœtus: mentes allicit: voluntates,quo vult impellit:languentem populum incitat,effrenatū regit ac moderatur:ſeditiones aut anteuertit, aut ſedat ac tollit. Teſtes inſuper ſunt Theſeus, qui ex agris Athenienſium populum eloquentia compulit.Solon,qui ad bellum ſuſcipiendum & repetendam Salaminem Atheniēſes oratione animauit. Themiſtocles, qui perſuaſit Athenienſib. vt annuos redditus argenti fodinarum, qui viritim quotañis inter populum diſtribuebantur, ad ædificandam claſſem trāsferrent. Pericles,qui Athenienſium Rempub. ſuo arbitrio egit ac verſauit. Philippus rex Macedoñiæ, qui non minores res oratione,quam prælio confecit: magis etiam ſibi

placuit, ſi quam verbis eſſet adeptus victoriam, quam ſi quos armis in ſuam poteſtatẽ redegiſſet: quod horum partem ſibi milites vendicare exiſtimaret: illa ad ſuam vnius laudem pertinere. Hinc eſt, quod Cicero ſcribit, *Eloquentia*, inquit, *multa vrbes ſunt conſtitutæ*, *plurima bella reſtincta*, *fortiſſimæ ſocietates*, *ſanctiſſimæ amicitiæ comparatæ.* Nec de qualibet facundia hoc dico: Veram & incorruptam eloquentiam in conſiliario requiro: Caueatur iſtud, monente Iunio & Plutarcho: primo: ne iuuenilis ſit & luxurians oratio: deinde ad Theatrum, hoc eſt, pompam ac oſtentationem quandam conformata: tertio lucernam redolens nimiumq; diligens, ac ſolicita & exquiſita: quarto ad laudem captandam accommodata, vel propter habitum, vel artem, vel diuidendi ſcientiam: detur contra opera: vt in oratione appareant mores non ficti, ſed aperti ac ingenui: animi magnitudo, at vera, non ſimulata & ſtulta: dicendi libertas, verum prudens & ex animo paterno profecta, nõ inimico ac hoſtili: ſapientia & prouidentia, ſed non temeraria atq; inanis, verum ſollicita de ciuium ſalute & fortunis: gratia atque perſuaſio idonea, ſed in propoſito bono ac honeſto: ſententiæ ac verba cum grauitate coniuncta: nihil abſurdum, ridiculum

lum , ineptum impium, monſtroſum, alienum continentia.

> Τὴν τοῦ λόγου μὲν δύναμιν εἶν᾽ ἐπίφθονον,
> Ἤθει δὲ χρηστῷ συγκεκραμένην ἔχειν:
> *Hic ne inuidenda polleat facundia,*
> *Sed quæ probis ſit temperata moribus.*

Probis moribus coniuncta ſit eloquentia. *Nefas eſt, eloquētiam à natura* (vt Cicero ſcribit) *ad ſalutem hominum & ad conſeruationem Reipub. datâm, ad bonorum peſtem perniciemque conuertere.*

Tertia animi qualitas, multarũ linguarũ peritia & cognitio eſto, linguarum dico, maxime eorum populorum quibus Princeps imperat, nec non eorum cũ quib. princeps ſæpe negotia peragenda & tractanda habet. Exemplo rem clarius explicabo. Sit nobis præ mentis oculis conſiliarius hodierni Imperatoris Matthiæ. Hic præter linguam Germanicam ſciat linguam latinam, Bohemicam , Vngaricam, Italicam; idque ea de cauſa, vt impatoris ſubditos loquentes intelligat: pter has linguas calleat Gallicam, Hiſpanicã, Polonicam & Turcicam, atq; has ideo, tanq̃ eorum populorum linguas, cum quibus ſæpius negotia tractet Imperator. Notum eſt, & clare conſtat, Bullâ aureâ Imp. Caroli Quarti cautum eſſe, vt Electorum filij à primis ſtatim annis Italicam,

3. Animi qualitas eſt linguarum peritia.

Latinam & Illyricam ſiue Sclauonicam linguam addiſcant, quo cum multis gentibus ſermonem communicare poſſint.

Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod melius quis animi ſui ſententiam aperiat, meliuſque intelligatur, ſi ea lingua vtatur, quam ille cui alloquitur probe intelligit.

Adde etiam vtilitatem illam cognitionis multarum linguarum, quam illæ adferant: ad legationes audiendas, ſint illæ amicorum, ſint illæ inimicorum; ſi ſunt amicorum, facilius in amicitia conſeruantur, quippe cum vident & audiunt ſuam linguam vſurpari in aula Principis, ſibi perſuadentes, id ex amore proficiſci & obſeruantia. Si inimicorum, hoc modo & occaſione beneuolentia acquiritur. Atq; vt cœteras vtilitates & neceſſitates linguarum cognitionis & peritiæ taceã & omittã; hoc tñ non tacite prætereundũ: haud facile inueniri interpretes, q perfecte res interpretãdas declarent ac referant, vel quicquam adimentes vel quicquam adiungentes; & ſic addendo quid, aut minuendo à recto orationis filo, proponentiſque ſententia ſemper deflectentes. Addo, quod per Interpretem dicta & relata non tam grata, non tam efficacia ſint, neque tam bene affectus moueant: vt omittam quam pluri-

ma eſſe

ma eſſe verba, phraſes & dicendi modos, ſuas energias & dicendi ſignificationes habentes, quæ alia lingua exprimi aut exponi nequeunt. Sępe qui alterius opera confidit, decipitur. De Cenſorio Catone ita refert Plutarchus: *Cùm Cenſorius Cato pop. Romani nomine legationem apud Athenienſes obiret, quia Græce tunc ipſe neſciebat, ea quæ habebat in mandatis, per interpretem expoſuit. Ibi quod ea quæ pauciſſimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret: Athenienſes orationum diſſimilitudinem mirati, Romanis ſermonem in pectore: Athenienſibus in ore naſci dixerunt. Tantũ enim à genuina ipſius auctoris mente, cuiuſuis interpretis orationem diſtare iudicarunt: quantum inter cor & labra eſt interſtitium.* Ideo Themiſtocles (teſte eodẽ authore Plutarcho) vnus totius Græciæ in rebus agendis acerrimus, atque in conſilio capiendo dandoque callidiſſimus, cum Athenis profugus, ad Regem Perſarum conceſſiſſet, animi ſui petitionem exponere noluit, priuſquam Perſicam addidiciſſet linguam: vt ſine interprete, quod plurimum referre arbitratus eſt, cum Rege loqui poſſet. Taceo, quod quorum mentes diuerſarum linguarum peritia inſtructę ſunt, neceſſe ſit eos plurimum vidiſſe, plurimum legiſſe, plurimum cum hominibus communicaſſe.

Cum demum mercatores, ad faciendum quæ-

ſtum longinquas oras accedentes, exterarū nationum linguas ideo addiſcant, vt ſecum colloquentium ſermonem, haud alienis, ſed proprijs auribus excipiant: Quid ni, imo quanto magis, magni Principis conſiliarius diuerſas ſibi neceſſarias linguas hauriat & calleat?

4. Animi qualitas eſt hiſtoriarum cognitio.

Quarta qualitas eſt hiſtoriarum cognitio, quæ in conſiliario attendenda..

Hæc teſte Tullio, lux veritatis eſt, hæc magiſtra vitæ eſt. In hac enim poteris ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ, κοσμεῖν καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον: *tanquam in ſpeculo, ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes.* Et ad conſilia. χρήσιμοι πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γεγραφότων ἱστορίαι: *vtiles ad publicas deliberationes, rerum geſtarum hiſtoriæ.* Quare Alphonſus Siciliæ Rex optimos conſiliarios mortuos dixit, hiſtoriæ libros intelligens.

Et ait Polybius, ἀληθινωτάτην πρὸς τὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν dixit: *Veriſsimam diſciplinam, exercitationemque ad res Ciuiles, Hiſtoriam eſſe. Si præteritorum memineris*, inquit Iſocrates, *de futuris etiam rectius deliberabis.* Et Seneca, conſilium futuri, ex præterito venire, docuit.

Diſcipulus eſt prioris, poſterior dies.

Præclarum eſt, inquit Nazianzenus, *mentem hiſto-*

hiſtoriarum cognitione inſtructam ac refertam habere. Hiſtoria enim conglobata quædam, & coaceruata ſapientia eſt, hominumque multorum mens in vnum collecta. Audiamus ad hiſtoriarum lectionem clariſſimorum virorum ad hortationes alias. Hiſtorię vtilitas eſt magna, ſcribit Plinius: hæc enim fœlicitatem nobis participat, & citra vllum documentum prodeſt homini. Quid enim pulchrius, quam non, quod alij egerint quærere, ſed quid optime actũ ſit nobis proponere ad imitandum ſeniorum cõſilia, quos longa ætas prudentiores efficit, laudantur à iunioribus: at hos tanto antecellit hiſtoria, quantò plura exempla complectitur diuturnitatis temporis, quam hominis ætas.

Præterea iuniores hiſtorica lectio antiquioribus æquat prudentia.

Adde, quod natu maioribus rerum experimenta ſubminiſtrat, priuatos viros imperio dignos efficit, imperatores ob immortalem gloriã ad præclara facinora impellit: & vt in ſumma dicam, omnium rerum ſeries, quibus hominis fœlicitas paratur, tribui hiſtoriæ debet: eſt enim cuſtos eorum, quæ cũ virtute acta ſunt, teſtem ſe malefactis præbens. Magnas merito gratias rerum ſcriptoribus homines debent, qui ſuo labore plurimum vitæ mortalium

pro-

profuere: Oſtendunt enim legentibus præteritorum exemplis, quid nobis appetendum ſit, quidue fugiendum: Nam qui multarum experimento rerum, varijs cum laboribus periculiſq;, procul ipſi ab omni diſcrimine,. geſta legimus: nos admonent maxime quid conferat ad degendam vitam.

Ideoque Heroum ſapientiſſimus eſt habitus is, qui ſæpius aduerſam fortunam expertus, multorum vrbes ac mores conſpexit. De grauiſſimi hiſtorici Thucydidis ſcriptis ſic loquitur Brutus: *Diſcant Athenienſium exemplo ciuitatum moderatores quieſcere, vbi facultas datur, cum pacis atque otij tuendi, non turbandi cauſa arma adinuenta ſint, ne patiantur, ſe efferri cupiditate proferendi imperij in patriæ exitium, cum certa infamiæ nota ne aſſueſcant aliena bella ſua facere. & per ſpeciem iuuandi amicos, imminere ad eorum perniciem quos iuuant. diſcant aut compreſſas habere animi cupiditates, aut quod malum quidem eſt, ſed mitius malum, quod ſpes certior rei agendæ affulſerit, tectas, occultaſq; habere. ſi qua de re controuerſia orta ſit inter communes amicos, malint auctoritate conciliandis animis vtriuſq; partis ſtudia, quam armis partem alteram fouendo & ſibi exitium quærere & ſuis.* Ad Cornelij Taciti ſcripta ſic Lipſius adhortatur: *Hic mihi quiſque Principum aulas, principum interiorem vitam, conſilia,*

ſilia, iuſſa, facta conſideret, & obuia in pleriſque noſtrorum temporũ ſimilitudine, ab iiſdẽ cauſis pares exitus animo p̃cipiet. Inuenies ſub Tyrannide adulationes, delationes, nõ ignota huic ſeculo mala; nihil ſincerum, nihil ſimplex, & nec apud amicos tutam fidem; frequentatas accuſationes maieſtatis, vnicum crimen eorum qui crimine vacabant; cumulatas illuſtrium virorum neces, & pacem quouis bello ſæuiorem. Triſtia ex iis pleraque, fateor, & legentibus mæſta: ſed ſingulis noſtrum à Thraſcâ iam moriente dictum putemus, ſpecta iuuenis & omen quidem Dî prohibeant, ceterum in ea tempora natus es vt firmare animum expediat conſtantibus exemplis. Liuius in præfatione operum ſuorum ſic ſcribit: *Ad illa mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibuſque artibus domi militiæque & partum & auctũ imperium ſit: labente deinde paulatim diſciplina, velut diſſidentes primo mores ſequatur animo: deinde vt magis magiſq; lapſi ſint, tum ire cœperint præcipites: donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, peruentum eſt; hoc illud eſt præcipue in cognitione rerum frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæque Reip. quod imitere capias: inde fœdum inceptu: fœdum excitu quod vites.* Huc reſpexit Lipſius, cum ſcribit; *Memoriam vſui non appono ſolum, ſed in parte præpono. Magis enim obuia hæc & facilis: diffuſa latius, & quæ plura ad pruden-*

tiam & plures confert. in quoſuis enim, ea & quouis tempore, cadit: cumque iter illud per propria pericula, longum, nec ſine periculis ſit: hæc via tutior, ideoque tritior.

Plures aliorum exemplis docentur. Id eſt hiſtoria, quæ non aliud, quam anima & vita memoriæ. Sic ille. O fœlicem igitur Principẽ, qui conſiliarijs quotidie aſſidet, qui viderunt & ſingulari attentione & diligentia legerunt ſeculorum memoriam, & præcipue hiſtorias ſui Principis, ſui Principis amicorum, ſui principis inimicorum, ſui Principis vicinorum. Talis conſiliarius, in hiſtoriarum ſcilicet lectione probe verſatus, & viua quodammodo experientia cenſendus, & pene perfectus conſiliarius dicendus eſt. Nec hic dico de omnis generis hominib. hiſtorias legentib. velut pueri, vt Plato ait, fabulas: ſed qui ſumma intentione legat, tali, inquam, intentione & fine, vt reipublicæ ſalutaria ex iis excerpat & notet: plerique voluptati, quam negotiorum varietas ſecum adfert, intenti, haud conſiderant, quî negotiis politicis eæ ſint applicandę; ideo non eſt inuenta hiſtoria, vt ea tempus fallas, & voluptati ſeruias, ſed in hunc finem, vt tanquam in ſpeculo ad alienas virtutes, mores tuos componas, bona ſequaris, mala fugias. Aliud eſt legere hiſtorias, aliud recte legere. Iucundiſſimum eſt hiſtorias legere; at fru-

at fructuoſiſſimum hiſtorias cum iudicio intelligere. Nec volo, vt promiſcue omnes hiſtoriæ, ſiue graues & vtiles illæ ſint, ſiue leues & paruæ, nulliuſue momenti; ſed meliores & grauiores, quippe cum tempus noſtrum non infinitum, ſed anguſtum ſit. Inprimis & præ cœteris legiſſe oportuit conſiliarium Guicciardini,. Cominæi & Taciti libros hiſtoricos. De Tacito iterum audiamus Lipſium ſic ſcribentem: *Tacitus omni virtute antiquis proximus, longo quidem interuallo, ſed tamen proximus: & ſi linguæ latinæ eſſet eadem puritas, cætera ſic perfectus, vt vocare illos ipſos antiquos in certamen poßit dignitatis. Acer ſcriptor, Dij boni, & prudens: & quem ſi vnquam in manibus hominum verſari vtile fuit, his certe temporibus & hac ſcena rerum expediat.* Plura eſſent, quæ de hiſtorijs afferre poſſem, quæ omnia vitandæ prolixitatis gratia prætermitto.

Epilogi loco tamen hoc repeto, hiſtoriarum cognitionem, viam eſſe ad prudentiam tutiorem, breuiorem & meliorem ipſa experientia. Hoc exemplo, quod ad hanc rem probandam Furius introducit, planum reddemus. *Detur mihi,* inquit, *ille hiſtoricus, qui ex memoria rerum veterum veros fructus demetere & germanum ſuccum haurire ſciat: hic experientiam maiorem negociorum habebit alijs, qui viginti annorum ſpacio in eorum tractatione ſe*

exercuerint. Nam vt exemplum à re militari ſumamus: Veteranus miles aut Dux, in tot annorum curriculo quatuor conflictibus, centũ leuibus prælijs, quinquaginta obſidionib. duodecim ſeditionib. quinq; pacificationibus atq; inducijs interfuerit, vel etiam pluribus: hiſtoricus vero innumerabilium conflictuum, præliorũ, obſidionũ, ſeditionum, induciarum ac pacificationũ experientiam habet. Quę aũt eſt comparatio atque proportio finiti ad infinitum? Præterea hic veteranus ex viginti annorum experientia cognoſcit ſaltem naturam duarum, trium aut quatuor nationum: Hiſtoricus omnium. Idem veteranus ſuâ experiẽtia vel decimam partem militiæ nunquam cognoſcet: nec enim tam breui temporis ſpacio vſus rerum omnium occurrit. Hiſtoricus autẽ è contra omnia ſcit, oĩa intelligit, nec vlla res eius inſpectionem effugit. Quid ꝙ veteranus, quantumcunq; viginti annos militiã ſecutus ſit, bellorum cauſas, progreſſus atq; exitus rariſsime intelligit: eorum adminiſtrationem, ſtratagemata ac difficultates ignorat: conſiliorum, interceſsionum ac neceſsitatum quæ paci, concordiæ, compoſitioni occaſionem dedere, penitus inſcius: Hiſtorico hæc omnia conſtant, id quod (vt ita dicam) belli anima eſt, reliqua

vero

vero quaſi particula ſaltem corporis. Porro quod de bello dixi, itidem de omnibus negotiis, quę in gubernatione incidunt, intelligas: & de ipſis exemplo horum iudicabis.

5. Animi qualitas eſt Notitia & cognitio ex peregrinationibus hauſta.

Quinta qualitas eſt, notitia & cognitio ex peregrinationibus hauſta. Vtiliſſima quippe exercitatio eſt conſiliarijs longinqua peregrinatio, in qua multa audiuntur, multa diſcuntur, multa oculis cernuntur, quæ nullo libro, nulloque doctore diſci poſſunt. Et puto vix quemquam grande aliquid loqui poſſe, niſi peregrinationibus verſatus & exercitatus. *Is non ſum*, inquit Patricius, *qui mihi perſuadere poſſim, aliquem hominem perfecte ſapere, qui parua aliqua ora, vel breuiore terræ angulo, vel vnis mœnibus delitеſcens, reliquas mundi partes ignoret, nullos mortales præter indigenas ſuos norit, non externos aut conſuetudines varias viderit, ſed contentus ſit his rebus, quæ exiguo ſpatio natalis ſoli, paruique laris anguſtijs cernuntur: præſertim quum animus noſter nunquam conquieſcat, ſed diuina humanaque omnia ſemper meditetur, pabuloque cogitationis alatur, nec diutius in eadem meditatione ac contemplatione perſiſtat, ſed noua continue inquirens, vix notis veteribusq; inuentis contentus eſſe poſſit: cui natura ipſa nocturnæ quietis tempore varias ſpecies, diuerſaq; ſimulacra ſubijciat, vt immortalis ipſe atque diuinus, mortale terrenumque corpus dormire ac re-*

quieſcere, aliquandiu ſinat, donec naturali quiete foueatur abſitque à rebus agendis.

Hęc ille: Nec ſatis eſt, reſpublicas, & populos ex hiſtorijs, quaſi ex pictura tantum nouiſſe, niſi is, qui deſiderio veræ & ſolidæ ſcientiæ & prudentiæ ciuilis politicæ flagrans, in reſpublicas populoſq; exteros oculis fideliter inſpexerit. Adiice, innumera eſſe, quæ non audire, & legere, ſed vidiſſe expediat, quæq; in hiſtoria, relatione aut vllo libro demonſtrari nequeát. Quá plurima inſuper nondũ literis mandata ſunt, quæ ſolo ſenſu ſunt obſeruanda. Quare peregrinationẽ quam plurimum poſt hiſtoriam ad prudentiam politicam prodeſſe, liquidum eſt Nec quamuis peregrinationem intelligo. vario & diuerſo fine à varijs & diuerſis inſtituitur; non otioſam, non inconſideratam, non voluptati inſtitutam, vt hominum oſcitantium atque erronum; Næ hi quaſi nundinas adęuntes, oculos tantum paſcunt, nihil emunt; verum eam peregrinationem puto, quæ rerumpublicarum perluſtrandarum, atque earum rerum cauſa, quæ ad augendam confirmandamque prudentiam ciuilem, faciunt, ſuſcipitur. At qualis ſit ea? aut quis vtilis peregrinans? Non is eſt, qui vrbes, qui ædificia, qui pyramidum ſtructuras, prata, planicies, ſaxa, montes,

valles,

valles, agros, ſyluas, nemora, fontes, flumina, monumenta, rudera, homines, veſtitus, animalia, & id genus alia primo intuitu ſtatim apparentia, videt; verum is eſt, qui magnos, prudentes, ſapientes & excellentes viros, generis humani corruſcantia illa lumina quærit, adit, & cum illis colloquitur; & qui ante omnia in ſtatus rerumpublicarum, in cauſas rerumpublicarum decrementi, & augmenti, in leges, magiſtratus, in conſilia, iudicia, Principes, in regionum populorumque varias & proprias (vt ſic dicam) naturas, qualitates & mores, inſpicit & inquirit: Principum inſuper actiones & ingenium indagat: Ciuiles quoque diſciplinas ſecundum varias gentes intelligit. Poſſet aliquis (vt hoc Exempli loco adferam) quærere ex me: qui iam ex Anglia redeo, quot miliaria Anglia in longitudine pateat? quot in latitudine complectatur? quas munitiones habeat? Vbi aditu facillima ſit? & quot flumina non vadoſa: Quo præcipue delectentur? in quo nobilitas Anglica à Germanica differat? in quo vulgus Anglicum à Germanico?

Quis ſtatus Reipublicæ & regiminis in Anglia ſit? vtrum Rex Angliæ, an Romanus Imperator, aut Princeps alius abſolutiore ſit poteſtate? Anglia qua ratione copias congreget, exerceat, inſti-

inſtituat, alat? Quomodo Rex ſubditos defendat, & regat? Quos reditus quotannis accipiat, quî eoſdem colligat & quî expendat & conſumat? Quæ & quanta Regis potentia? Quantas copias producere & alere poſſit? Quis Anglorum mos & modus ſit, prælia inſtituendi, cum hoſte confligendi, & regnum defendendi? Quæ Principis cum ſubditis ſit beneuolentia? Quam munitum ſit regnũ? Qui regni fines ſint? Quæ præſidia? Quæ, & quot flumina in regno ſint nauigabilia? Quæ maria regno adiacentia? vbi claſſium ſedes ſint? Qui fructus in Anglia creſcant, quos deducant, quibus indigeant? Quæ, quot, & vbi vectigalia ſua Princeps habeat? An in Anglia argenti, auri, aliarumq; rerum fodinæ ſint? impenſæ publicæ, in militem, in magiſtratus & res alias quę impendat Rex? Quæ Principis populiq; virtutes, quæ vitia? Quis ordo in populo? An, & quarum doctrinarum ſtudia in Anglia? Quando & quibus cauſis medijſque cœperit, quî creuerit, & quam diu floruerit Regnũ? Hæc & id genus alia de Anglis iam ſcire mihi conuenit. Quod hic dixi de vna, idem de aliis gentib. dicere, interrogare, & inquirere poſſum. Duplex eſt Reipublicæ inſpectio, alia externa eſt, alia interna: Externa, quo ad ſitum, quod ſcilicet oculis cernimus, & manibus palpamus; Interna, & potiſſi-

tiſſima, quæ in animam, id eſt, in ipſum reipublicæ ſtatum, leges, magiſtratus &c. quæ politica capita cœtera, introſpicit. Omnis peregrinans, qui externis iſtis contentus, & interna negligit, parũ proficit: Næ

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Duc taurum longe, duc prope, taurus redit ipſe.

Talis taurus & erro inutiliter & tempus & bona perdit & conſumit. Talem igitur, vt ad propoſitam rationem redeam, cõſiliarium volo, qui in peregrinationibus & itineribus ſuis magis in interna, quam externa inquiſierit. Et ſic cum Patricio & Dionyſio Halicarnaſſeo concludo: vtilem admodum iuuenibus eſſe longinquam peregrinationem, plurimamq; doctrinam, ac rerum experientiam præſtare, & præſertim illis, qui alijs præfuturi ſunt, quorum peritia multis mortalibus prodeſt, & eos ad bene beateque viuendum inſtituit; quod quidem proprium officium eius eſt, qui multitudinem regit. Eſt enim communis omnibus naturæ lex, vt doctiores minus inſtitutos erudiant, & meliores deterioribus imperent. His, vt dixi, à me recitatis, quaſi excitatus Princeps, non tenuit vocem, ſed, eſt, inquit, ita, peregrinationum magnus in republica vſus eſt, ple-

nius namque & vberius de diuerſarum rerumpublicarum ſtatibus & quantæ prouinciarum & regnorum vires ſint, cognoſcunt ij conſiliarij, qui olim ipſas regiones peragrarunt, & oculis vſurparunt.

Ego ipſe, (& licet cum dolore) hoc dicere poſſum, me in primis regiminis & gubernationis meæ annis in eo valde peccaſſe, quod è cœteris duos haberem conſiliarios, quibus ſolis ſecretiora mea conſilia communicabam; at poſtquam mihi cum potentiſſimo N. Rege, de quodam Lucatu bellum ſuſcipiendum eſſet, quam plurimum conſilijs ſuis illi mihi nocuerunt, quia in iuuentute ſua peregrinationes neglexerant, nec hoſtes meos, nec eos quibuſcum contra hoſtes fœdera paciſcebar, neque Ducatus illius nouiter iure hæreditario à me acquiſiti incolas, perſpectos habebant. Tandem bello ipſorum conſilio infœliciter geſto, totas regiones amiſi & perdidi: Idem ferme mihi nunc accidit de quodam alio Comitatu, cuius incolarum mores, qualitates, & (vt dicitur) naturas & conſuetudines haud cognitas & perſpectas illi habent. O me fœlicem, ſi tales ad conſilium vocaſſem, qui illas regiones, nuper, vt dixi, acquiſitas, populum contra quem bellum geſſi, nec non eos, cum quibus fœdera iniui, pro-

be

be nouiſſent: Et quomodo conſiliarius cum illis nationibus negotia tractabit, quarum mores, cõſuetudines, & proprietates ignorat, nec modum cum illis agendi perſpectum habet? quomodo bellum cum illis gerendum putabit, quarum regiones nunquam vidit? Quare optimus optume dixiſti, oportere conſiliarium & Principis ſui, & Principis amicorum, & hoſtium, nec non vicinorum Principum & rerumpublicarum terrarum notitiam habere, quam vel maxime in peregrinatione comparare poteſt. At tu, mi Eluere, orationem tuam ad cõſiliarij ſextam qualitatem volue.

Tum ego: ſextam, inquam, qualitatem, Philoſophiæ cognitionem voco. Hanc ſapientes in multas partes diuidunt; Cicero v. diſtribuit in partes tres: in Naturę, ſcilicet, obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque in mores; q̃ poſtremam, Philoſophiam moralem vulgo vocant. Ego velĩ, inprimis imbuti ſint conſiliarij philoſophia morali, nec naturalem, necq; rationalem excludo: his leuiter tincti ſint; hę enim ad ingenium tantum pertinent, illa ad animum. Vita igitur & moribus probus ſit omnis conſiliarius, multa probitate perſpicuus, egregia vitæ ſinceritate clarus, nec non ſplendidis virtutum ornamentis decoratus ſit. Quis enim, teſte Ambroſio,

6. Animi qualitas eſt Philoſophia cognitio.

in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? quis vtilem iudicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? quomodo poteſt enim iudicare conſilio ſuperiorem, quem videas moribus inferiorem? Quare, *conſiliariis vtere ijs,* inquit Baſilius ad Leonem, *qui rebus propriis bene conſuluerunt, recteque eas adminiſtrarunt; non autem, qui per imprudentiam male! Nam qui ſuis rebus male proſpexit, nunquam ille bene conſuluerit alienis.* Audi & Iſocratis conſilium: *Prima hæc emendanda eſt*, ſcribit, *ordinandaque Reip. ratio, ſi de publicis negotiis deliberaturi, eos in conſilium adhibuerimus, quibus in priuatis rebus nullos anteponeremus.* Porro, nec tantum morum honeſtate præditus ſit conſiliarius, neq; ſolummodo multiiuga virtute præcellens ſit; ſed & ſcientiã habeat, quibus extremis ac finibus virtutes, & vitia definiantur. Ignorantia enim huius, docente & monente Furio, multos in errorem abducit: ac Conſiliarius vulgari opinioni aſſentiens, imprudentiæ labem effugere nequit. Complures namque, imo fere omnes huius inſcitia, hominẽ quietis amantem, timidum; aſtutum, proditorem: rudem, bonum: ignauum, manſuetum: imperitum, vel vitio naturæ, vel laboris fuga, ſimplicem: iracundum, apertum; ſuperbum, magnificum: furioſum atq; veſanum, fortem: prodigum, liberalem:
aua-

auarum, prouidum: ſuperſtitioſum, ſanctum: doctum, curioſum: curioſum, ſtultũ appellant: ac ſimili ratione reliquis vitiis atq; virtutib. contraria nomina, pro libitu imponunt. Id a. vitium maximũ, eſt: & ſi conſiliarius ei obnoxius ſit (vt eſſe obnoxium neceſſe eſt, ſi proprietates virtutum recte diſtinguere neſciat) Principẽ cũ regno deſtruit, atque euertit. In omnib. namq; reb. de quib. deliberatio incidit, primo conſultatur, honeſtum nec ne ſit: nec minus in munerib. atq; officijs diſtribuendis virtutũ ac vitiorũ diſtinctio neceſſaria eſt, ne album pro nigro accipiant. Quod ſi cognitione huius partis Conſiliarius deſtituetur, fieri neq̃t quin Princeps in remuneratione beneficiorũ ſæpius decipiatur. Quare tandẽ infero, hanc eſſe vnã qualitatũ, quæ maxime Conſiliario ſit neceſſaria. Huc vſq; allegatus author. *Ego doctos libenter in conſilium admito*, inquit Lipſius, *ſed qui non ſint hoc tantũ. Nam qui ſola & nuda iſta cognitione literarum ſe iactant, valde repello. Non loquimur hic*, ſcribit de eadẽ re Hippolytus, *de Philoſophia, q̃ in meris ideis animi vacui, ab omni gubernatione fingitur, nec de Philoſophaſtris, q̃ vel ſine iudicio Philoſophiæ operã dant, vel nimio eius ſtudio ducti, Philoſophia vti neſciunt: & ſapientes ſunt, præterq̃ in iis, in quib. ſapientes eſſe debent. Sed de iis, qui vſum & exercitationem coniungunt. Helvidius Priſcus* (ait Tacitus) *inge-*

nium illuſtre altiorib. ſtudiis, iuuenis admodum dedit: non vt plerique, vt nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quo firmior aduerſus fortuita, Rempub. capeſſeret, doctores ſapientiæ ſecutus eſt, qui ſola bona quæ honeſta, mala tantũ quæ turpia, potentiã, nobilitatẽ, cæteraq; extra animum, neque bonis neq; malis annumerant. Quæſtorius adhuc à Pæto Thraſca gener delectus, è moribus ſoceri nihil æque ac libertatem hauſit, ciuis, ſenator, maritus, gener, amicus: cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemtor, recti peruicax, conſtans aduerſus metus, qui veræ Philoſophiæ verifructus. De hac Philoſophia practica iterum Hippolytum ita ſcribere memini: *Plane abſurdum eſſet in Repub. verſanti, ea quibus præcipue Reſpub. ſtat, & ex quibus manat, ignorare. Neque aliam Philoſophiam intellexit Plato, cum nobiliſſimam illam vocem tanquam ex oraculo edidit: Tum demum beatas fore Reſpub cum aut regnarent Philoſophi, aut Reges Philoſopharentur.*

Nulla laudabilior philoſophiæ pars eſt, ait Plinius, *quam agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere & exercere iuſtitiam, quæque Philoſophi doceant, in vſu habere.* Hæc Philoſophiæ pars docet, quid honeſtum, quid turpe, quid extremum bonorũ & malorum: quomodo domus regenda quæ patris, quæ mariti, quæ heri poteſtas, quę inſtrumẽta tam animata, quam inanimata, & quo pacto res familiaris tuenda, quot Imperiorum genera, quibus virtutibus & diſciplinis imbutum eſſe o-

portcat, qui Rempub. bene adminiſtrare velit: quis ſit optimus Reipub. ſtatus, quibus artibus inclinatæ, ruenteſq; ciuitates ſubleuentur & optimis inſtitutis & legibus temperentur. Affirmat apud Cic. Craſſus: nullum eſſe oratorem poſſe niſi qui hanc Philoſophiæ partem omnem perdidicerit. Omnis n. oratio ſit ex iis reb. quę vel agēdę vel fugiendæ ſunt: in quib. cū officium omne cōſiſtat, ſequitur neceſſario, vt qui officiorum ignarus eſt, is etiam in dicendo rerum inops & infacundus ſit. Non immerito igitur exclamat idem: *O vitæ Philoſophia Dux, ô virtutis indagatrix, ô expultrix vitiorum*, & quæ ſequuntur. Nunc ad qualitatem ſeptimam, quæ proxima eſt Philoſophiæ, & quæ ex illo manat, fonte, ad legalem ſcilicet prudentiam; quæ eſt diuinarum atq; humanarū rerū notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia. Hac pariter imbuti & fideliter tincti ſint conſiliarij, tum quia, ne quod impetus & libido dictitant, ſed quod lex poſtulat, principi ſuadeant; tum quia quod ius iubet, iuſtumq; ſit populo dicant, iuſteq; populum iudicent. Quam plura occurrunt, quæ in conſultationibus ſine Iuriſconſultorum opera expediri nequeunt.

7. Animi qualitas eſt legalis prudentia.

Hic erit optimus,
Hic poterit cauere recte, iura qui & leges tenet.

Hanc

Hanc ob rationem Imperatores Romani in cõſiliariis ſuis iuriſprudẽtiam expoſtularunt, & in conſiliaríos Iuriſperitos elegerunt; Hoc Auguſtus fecit, qui viginti Iureconſultos à ſenatu petijt, à quibus conſilium caperet, & præ cœteris iurecõſulto clariſſimo Trebatio vſus eſt. Huius deinceps exemplum ſequuti ſunt Imperatores poſteri, Galba, Traianus, Adrianus, Aurelius, Alexander Seuerus: de quo Lampridius, *nullum*, inquit, *decretum fecit*, *ſine iuris conſultis viginti*. Veſpaſianus imprimis vſus eſt præexcellenti iuriſconſulto Caſſio; Traianus Neratio; Hadrianus Iuliano; Antonio Scæuola: Septimus Seuerus Papiniano; Alexander Vlpiano, quem non tantummodo pro conſiliario, ſed & pro tutore habuit, primum (vt teſtis eſt Lampridius) repugnante matre, deinde gratias agente, quem ſæpe à militum ira obiectu purpuræ defendit.

8. Animi qualitas eſt pacis bellique tempore Rempublicam adminiſtrãdi cognitio.

Octaua qualitas, quam in conſiliariis requiro, eſt pacis bellique tempore Principis ſui rempublicam adminiſtrãdi ſcientia. Quæ ex cognitione reipublicæ maxime proficiſcitur. *Ad cõſilium pro republica dandum caput eſt*, ſecundum Tullium, *noſſe rempublicam*. Et Plato, *in omni re*, inquit, *conſulendi principium, eſt, noſſe id, de quo conſilium eſt inſtitutum, aut in totum aberrare ſit neceſſe*. Et Tacitus:

Morum

Morum animorumque prouinciæ, ait, *niſi gnari, qui de ea conſultant, perdunt ſe & Rempublicam.* Turpe eſt Iureconſulto ius in quo verſatur ignorare. Culpandus medicus eſt, qui morbum curare vult, quem non nouit. â nauigatione abſtinet nauclerus nauigãdi peritia carens. Regias artes calleat, qui regem conſilijs adiuturus eſt. Nota ipſi ſint ea omnia, quæ à Principibus tractari ſolent ad pacem & bellum ſpectantia. *Vt de rebus,* ait Ribadeneira, *bellicis non recte differit, qui bello nunquam interfuit; nec de maritimis, qui non nauigauit; nec de mercatura, qui negotiator non eſt; nec de agrorum cultura, qui non eſt colonus; nec de aliis artibus & ſcientiis rudis plane, & earum notitiam non aſſecutus: ſic nemo dè ignotis bene iudicat, nec bonum conſilium dat iis de rebus, quarum experientiam non habet.* Nam ſicuti, ſi quis Grammaticũ ſe profiteatur, Grammaticæ ignarus, vel medicũ agat, qui operam medicinæ non dedit, ridiculus habebitur: ſic cęcutire oportet, & tenebras veriꝰ q̃ lucẽ cœteris adferat Conſiliarius inſcius plane & imperitus earum̃ rerum, quæ in conſiliis principum aguntur; neque longa experientia vſum habens imperij tuendi atque adminiſtrandi. Reſpublica, ſiue ſocietas ciuilis quaſi & corpore & anima conſtat. Corporis appellatione ipſam regionem intelligo. Non ignoret igitur cõſiliarius, ſed per-

ſpectum habeat, ſub quali cœli parte reſpublica ſita ſit? quę, qualis, quantaque ſit? An regio mediterranea, an maritima ſit? Quot in ea ſint flumina, lacus, paludes & ſtagna? Qui in ea montes, planicies, valles; vtrum illis munita ſit, quæ eius commoditates? An comeatu prohiberi poſſit.

An terra fertilis, aut ſterilis? nunquid in ea auri, argēti, aliarumque rerum fodinæ ſint? Propinqua hoſti, an remota? Cum quibus regionib. & regnis finitima ſit. & id genus aliā? Haud, qui hæc ignorat, recta Principi ſuggeret conſilia.

Animæ, porro, appellatione Reipublicæ formam voco: compertum igitur habeat conſiliarius an reſpublica in qua viuit, nec non finitima & hoſtis reſpublica, an inquam, Monarchia ſit, an Ariſtocratia, vel Democratia; an vero reipublicæ gubernatio Nobilitati & Regi, vel plebi & Regi; vel nobilitati & plebi vel denique Regi, Nobilitati & populo communis ſit. Omnes enim horum generum reſpublicæ in Chriſtiano orbe reperiuntur. Sic eſt, omnia & ſingula imo & minima, illius inprimis Reipublicæ in qua viuit & cuius principis cōſiliarius eſt, ſcire debet conſiliarius. Plurimū ſtudij & diligentiæ, ad hæc cognoſcenda ponat, quæ ſcilicet ad Principis ſui principatum ſpectant: Principatus, Principis, populi, &

vici-

vicinorum naturas, conſideret. Principis quoq; aulam, & in ea miniſtrorum, & in primis conſiliariorum proprietates, omnemque adminiſtrationem cognoſcat. Quid, porro, in Republica controuerſum, cum quibus, quibus de cauſis? Quibus rebus populus delectetur, quibus offendatur, quibus negotiis ſeſe ſuſtentet, qui erga Principem affectus ſit? Quæ vectigalia eorum, quæ euehantur & inuehantur? An ſubditi nimiis tributis, vectigalibus, aliiſque oneribus nimium premantur. Quænam denique Principis familiæ origo, quæ affinitates, quæ amicitiæ, quæ inimicitiæ, quæ & qualia fœdera, & huiuſcemodi generis alia omnia, etiam in minutiſſima, quæ neglecta Reipublicæ & Principi detrimento & damno eſſe poſſunt, cogitationes, conſilium, curam ſtudium & ſolertiam impendat, in ea diligenter inquirat, atq; vt eadem perſpecta & cognita habeat, ſtudeat. O vtiliſſimam hanc in conſilijs cognitionem! vbi conſiliarius pariter conſiderabit, quomodo quælibet rerumpublicarum regenda, conſeruanda, dilatanda.

Cogitabit quoque, quomodo pleræque de forma in formam mutentur, & quibus periculis incidentibus occurrendum.

Hac notitia rudis conſiliarius, impoſſibile

eſt, vt Principi conſilium, hoc eſt, commodum remedium ſanandis Reipub. vulneribus oſtendat. Næ talis conſiliarius, quomodo ſana reſpub. à peſtiferis morbis, & letalibus malis præſeruetur Principem ſapienter admonere haud poterit, neque conſuluerit, qui ſe Princeps erga amicos, erga confœderatos, erga hoſtes, gerere debeat. Sicut medicus hominis, ita quoque Reipublicæ medicus, conſiliarius, dare conſilium rectum non poteſt, niſi prius eius temperamentum ſiue conſtitutionem cognoſcat.

Qui hoc bene & perſpecte nouit, fœliciter curat; qui male & minus perſpecte, infauſte medetur.

Belli tempus etiam ſupra memini. Sciat itaq; conſiliarius, quæ ſint virtutes ac qualitates ſeu habilitates in bono milite, in bono duce conſiderandæ: quomodo copiæ colligendæ, armandæ, deducendæ, conſeruandæ, ſuſtentandæ, & ſoluendæ. Qui repentinis finitimorum hoſtium incurſionib. agrorum populationibus occurrendum. Quomodo, qua ratione & quando cum hoſte cōfligendum, hoſti inſiſtendum, inſequendū, quando recedendum; quid copiis & cohortibus interitis, fuſis & extinctis poſt fugam & cladem agendum; qui vires colligendæ ſint; qui induciæ paciſcen-

ciſcendæ; quomodo poſitis armis pax petenda; quomodo pacis conditiones proponendæ, quomodo belligerantes in concordiam redigendi, & quomodo ſe quis in pacificatione interponere debeat, quando pax petenda & quomodo facienda; & qui demum de fœdere tractandum, ac fœdus ſanciendum ſit. Apud Romanos olim pauci in ſenatum recipiebantur, quorum virtus non eſſet domi militiæque cognita; vt ſimul eſſe poſſet

Paciſque bonus, belliquè miniſter.

Difficile eſt, fateor vt Princeps tales conſiliarios, & literis ſcilicet, & experientia rei bellicæ fideliter & gnauiter peritos & exercitatos reperiat; eligat tamen Princeps conſiliarios ſcientia & experientia rei militaris probe imbutos aliquos, licet haud literatos, quos in conciliū militare collocet.

Vt illud, quod imperator Iuſtinianus de ſe, meus Princeps de ſe quoq; quamquam haud ſui, conſiliariorum ſuorum intuitu tamen pronunciare & dicere poſſit: *Imperatoriam Maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legib. oportet eſſe armatã, vt vtrumque tempus, & bellorum & pacis, rectè poßit gubernari: & Princeps non ſolum in hoſtilibus prælijs victor exiſtat, ſed etiam per legitimos tramites calumnian-*

 tium

trum iniquitates expellat; & fiat tam iuris religioſiſſimus, quam victis hoſtibus triumphator magnificus.

Huic octauæ qualitati, proxima & affinis eſt Nona, quæ conſiſtit in intelligentia virium & Principis ſui, & confœderatorum & vicinorũ & hoſtium: Quanti ſcilicet ſint ipſorum reditus tam ordinarij, quam extraordinarij: vnde: quî & quando conficiantur: quas, quantas & quales copias educere, quam diu eaſdem alere poſſint. In corpore humano virtutes naturales conſiderat medicus Phyſicus, in republica potentiam Principis perpendit conſiliarius ſiue medicus politicus. Experientia hoc quoque obſeruaui: ſæpe conſiliarios huius intelligentiæ penuria, huius notitiæ ignorantia, pro ſalubrib. conſilijs, peſtifera Principibus dediſſe, qui cœco quodam impetu ad bella iuerunt, & cum pœnitentia domũ redierunt: illorum n. conſilio, principib. cum quib. in pace viuendum erat, intempeſtiue & inconſiderate, ſæpe quoq; iniuſte crudeliſſima & cruenta bella indixerunt, plurimo ſanguine geſſerunt, & ſumma ipſorũ ignominia finierunt; illorũ conſilio cum ijs pacẽ fouerunt, quib. legitime & cõmode arma inferenda eſſent. Idem & de inducijs, fœderibuſque dicendum. Et quomodo quis quicquam cum alijs populis re-

9. Animi qualitas eſt viriũ & ſui & aliorum principiũ cognitio.

cte geret, quorũ mores & vires perſpectas nõ habet? quomodo bellum in illis terris fœliciter gerendum ſuadebit, quarum ſitum ignoret, quib. rebus abundent, & quid in eis deſideretur, non ſciuerit?

Decima porro qualitas, quæ in conſiliario requiritur, eſt erga rempublicam & Principẽ ſummus & ſincerus amor & fidelis affectus, talis ſcilicet, vt non ſolummodo publicam vtilitatem & commodũ amet, ſed & in eo promouendo propriã vtilitatẽ, ꝓprias opes propriamq; authoritatẽ & vitam negligat: eaſdemq; ꝓ Reip. & Principis ſalute, quando opus ſit, impendat. Amet Principem & Rempublicam non aliter tanquã optumus filius optumos veroſq; parentes. Nil eſt prudentem & ſapientem eſſe, acute proſpicere, ornate & bene eloqui, & quicqd cœterarum in conſiliario qualitatũ & virtutum mentionis fecimus, ſi odium erga Remp. aut cupiditas deteſtanda in eo fuerit. Ecce ſummam in conſiliario, imo in reipublicæ gubernatorem ſummam virtutẽ, verum ſincerumque in Rempublicam affectum! *Nullus tibi fidelior eſſe ad conſilium poteſt*, ait Gregorius Pontifex, *quam qui non ſua, ſed te diligit.* Si conſiliarij priuatum commodum præ publico, ſi priuatam authoritatem præ publica, ſi propriam vitam

10. Animi qualitas eſt erga Remp. ſummus amor.

vitam pro Reip. vita amant; ſi omnia præ publicis habent, quis eſt, quin rempublicam illi perdant, dubitet? ſic eſt, ſi rerumpublicarum rectores priuatam vtilitatem reipublicæ commodo poſthabent, neceſſario ſequitur, vt reſpublica pereat, & perdita ea, peribunt & ipſi vna cum commodis ſuis, vna cum authoritate ſua, & ſępe cum vita ſua. Poſſem hoc loco euagari, & quod dixi, tum repetitis è veteri memoria, tum viuis, nuperis & aſpirantibus adhuc exemplis demonſtrare, cum horum exemplorũ pleni ſunt omnes libri, plena ſeculorum vetuſtas, plenæ deniq; ſapientium linguæ; ſed breuitati ſtudens, huiuſmodi exempla tacito, vt dicitur, prætéribo, pede. Tamen vt enunciem quod ſentiam, dico: raras eſſe, proh dolor, aues, tales, quos paulum tetigi, cõſiliarios: repeto & cum ſuſpirio dico, raras aues! Multi ſunt, imo quam plurimi ſunt, qui bona Principis, haud Principem diligunt, qui bonis Principum, non Principi ſeruiunt, qui proprium commodum, nõ Reipublicæ vtilitatem cupiunt. Bonorum vero amici ſunt, perſonæ amici perſonatæ ſunt.

Dum feruet olla, viuit amicitia.

Magnum fortunæ munus eſt, reperire candidos conſiliarios, qui vnice Principis & reipublicæ ſalutem & vtilitatem, propria relicta, quæritant.

tant. Id factu quam difficile & rarum ſit, exemplo liquet Marci Aurelii, ſapientiſſimi imperatoris, qui de ſe ad filium Commodum ſic inquit: *Equidem cum longæuam à Diuis vitam acceperim, diuturnam horum omnium cepi experientiam. Scito n. me XV. annorum ſpatio conſulem, Senatorem, Cenſorẽ, Prætorem, Quæſtorem, Ædilem & Tribunũ, & poſt hæc omnia duo de viginti annis Imperatorem Romanum fuiſſe, quib. omnib. annis plerique ea quæ dicebant, ad commodum proprium & damnum proximi dirigebant, ac monſtri inſtar erat, ſi quis candide ad obſequium & alterius emolumentum loqueretur.* Omnis auarus ineptus & indignus eſt hoc munere, indignus & ineptus, inquam, omnis auarus; ineptus & indignus omnis philautus; indignus omnis ambitioſus; indignus omnis hypocrita.

Vndecima qualitas in conſiliarijs requiſita eſt, vt ſint tali & ingenio & animo præditi, vt & tempori & perſonæ ſeruire, vt orationem, & vultum pro ratione rerum, temporum & perſonarum in reipub. commodum fœliciter mutare & accommodare poſſint: Tali, inquam, animo & ingenio, quod in diſſimulationem ſui, ſalua, (arrige aures) ſalua, dico, virtute, compoſitum ſit. Hoc à Neptunicolis nautis didiciſſe conſiliarium oportet; talis enim marium ſulcator ſe vento- *11. Animi qualitas eſt. vt ſit tali animo & ingenio præditus, vt & tempori & perſonæ inſeruire ſeque iiſdẽ accommodare ſciat.*

rum mutationi aptat, & prudens conſiliarius ſe tempori, rebus, omnique hominum generi, ſalua, vt dixi, virtute, vtilitatis reipublicæ cauſa pręparat & applicat,

Iſthuc eſt ſapere,

Qui vbicumque opus ſit, animum poßis flectere.

Ideo non male Philoſophus Romanus: ſapientem, dicit, non ſemper ire vno gradu, ſed vna via: nec ſe in aliquibus mutare, ſed potius aptare. Faciet ſapiens etiam, quæ non probabit, vt etiam ad maiora tranſitum inueniat: nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit, & quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtetur agendæ rei cauſa.

Et docet Tullius quod (in publicis præcipue rebus) non ſemper idem dicere, ſed idem ſemper ſpectare debeamus. Atq; aſſerit: temporibus parere omnes politicos oportere. Quippe in tot tantiſque hominum vitijs, magnæ artis eſſe, vitare inſidias, eſſe vnum accommodatum ad tantam morum, ac ſermonum, ac voluptatum varietatem.

Non cauti, addo, non prudentis viri eſt, cũ periculo velis remiſque; vt ille ait, petere portũ, quem cõmoda velificatione aſſequi poteſt. Hæc de ciuilibus, publicis & Principum rebus dicta

dicta ſunto, vbi ſimulatione vti licet: at priuata vita diſſimulationis & ſimulationis eſto expers. Amici mores & ſermones ſimplices ſunto, ſinceri ſunto & ſine fuco. Omnis Princeps hoc audiat: *Neſcit regnare, qui neſcit diſſimulare*: Omnis amicus hoc capiat: Non eſt amicitia, quæ non eſt candida, quæ non eſt integra.

Tertia tandem vice repeto & clamo: diſſimulationem, ſimulationem, accommodationem & applicationem in rebus publicis & politicis probo, ſi pietas interna, ſi virtus ſincere retineatur. Si porro in Epiſtolis S. Pauli legeris, ſcio te intellexiſſe, quomodo ſe perſonis accommodauerit, quomodo, vt multas animas acquireret, ſeſe tum gentibus, tum Iudæis accommodauerit. Auſcultemus ipſum Apoſtolum ad Corinthios ſic ſcribentem: *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerē. Et factus ſum Judæis tãquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem. Iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.*

Si igitur Theologi & viri ſancti, probiq; ꝓba mẽte id egere, quare nõ bona ꝓbaq; mente in re-

bus politicis conſiliarij politici? Audiamus & Grægoram ſic literis teſtantem & ſermocinantem: *Et ſeruator, & Deus noſter*, ait, *niſi ad humanos affectus ſeſe demiſiſſet, & cum publicanis cibum cœpiſſet, & humanitatem præ ſe tuliſſet, & quatenus ratio ſineret, omnium ingeniis ſeſe accommodaſſet, haud facile opinor, totas ciuitates ac populos ad amplectendas res vtiles, & ſalutares perduxiſſet.* In ſexta conſiliariorum qualitate, dixi de Philoſophiæ moralis cognitione, quam non ſolum mente habeant conſiliarij, ſed & eandem moribus rutilare faciant, admonui, vt ſcilicet omnium virtutum luce clareſcerent. Quod igitur ibi generatim, ſiue, vt vulgo dicitur, in genere de virtutibus dixi, nunc ſpeciatim de quibuſdam virtutibus præ cœteris conſiliario neceſſarijs repetam; atque ita ex ijſdem ſpeciales quaſdam qualitates hic ponam.

12. Animi qualitas eſt iuſtitiæ amor.

Duodecima igitur qualitas in conſiliario eſto iuſtitiæ amor, ſiquidem, qui hacce qualitate præditus eſt, quæ cuique debentur diſtribuit: malos caſtigat. Bonos præmio honorat: pacem & bellum iuſto tempore & loco ſuadet. Iuſtitiæ amans ſincerus, probus, & iuſtus eſt. Iuſtitiæ amans idem abſens, qui præſens, eſt; Iuſtitiæ amans nil quicquam animo agitat, quod non Principi ore dicat. Talis non

non eſt Hypocrita, non eſt bilinguis, non eſt ambitioſus, nó eſt delator. Breuiter mentem meam vt aperiam, iuſtitiæ amans, dico, ſecundum Iuris præcepta iuſte viuit, ſuntque: *Honeſte viuere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere.* Ad huiuſcemodi conſiliarium confugere, eſt ad ius & iuſtitiam ipſam ire, qui merito Lex loquens, dicendus eſt. O non minimam in conſiliario virtutem? *vt ignis,* ait Simanca, *quæcunque admouentur, calefaciens ipſe primum innata ſibi vi calet: nix contra ſuapte natura frigida & alia frigida reddit: ſic Iudex ac Magiſtratus ipſe plenus Iuſtitia eſſe debet, ſi aliis ius adminiſtraturus eſt.* Vt Iuſtitia ſine prudentia nihil prodeſt, ſic ſine Iuſtitia nihil valet prudentia. Sanat hæc, teſte Oſorio, vulnera populorum: comprimit omnes motus: pacem & otium cum dignitate conſtituit: vires Reipub. firmat. Quin & ſacræ literæ iuſtitiam maxime requirunt: *diligite,* inquiunt, *iuſtitiā, qui iudicatis terram.*

Decimatertia qualitas eſt Fortitudo, & quę ex ea proficiſcitur, Conſtantia. Interioris animi fortitudinem dico; Hanc virtutem qui colit, neque in proſperis fortunæ caſib. tumidus eſt, neq; in aduerſis timidus eſt. Fortis ea, quæ alij admirantur, ea quæ alij geſtientes appetunt, ea quoq;, quæ alij timent, ad quæ alij trepidant & eiulant,

13. Animi qualitas eſt Fortitudo & Conſtantia.

ea, quæ alij fugiunt, vt ſunt delitiæ, fauores, diuitiæ, honores, odia, paupertates, pericula, gladios, tela, equuleos, naufragia, aculeos, flammas, vaſtationes, labores, ſudores, morbos, mortes, pro nihilo habet: pro reipublicæ ſalute aſpera temnit, blanda negligit. Siquidem fortitudo virtus eſt, quæ animum ſuper pericula & metum agit, nihilque niſi turpia timet, tolerat fortiter vel aduerſa vel proſpera. Præſtat autem fortitudo magnanimitatē, fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam, tolerantiam, firmitatem, & conſtantiam.

Conſtantia etiam nil aliud eſt, quam fortitudo, quæ in rebus ſecundis ſimul ac aduerſis ſemper eadem & inuicta eſt. *Is demum*, teſte Liuio, *vir eſt, cuius animum neque proſpera flatu ſuo, neque aduerſa infringunt.* Fortis Conſiliarius nil temere aut leuiter appetit, nil timet, nil trepidat, ſed Principi ſuo conſtanter veritatem dicit, ſtultitiam & vanitatem eorum, qui Principem mendacijs, aſſentationibus, adulationibus, & hypocriſi corrumpere conantur refellit, refutat & Principi rem aperit. Fortis & conſtans conſiliarius nullis occupationibus, nullis laboribus & ſudoribus deterretur; Econtra mollis & inſtabilis ex leui facilique labore, anhelitu & ſudore debilitatur, rerum aſſiduitatem faſtidit, & vigilantiam extimeſcit.

ſcit. De forti Agamemnone ſic ſcribit Homerus.

Cæteri quidem apud naues Principes omnium Achiuorum
Dormiebant per noctes molli domiti ſomno;
Verum non Atridem Agamemnonem, Paſtorem populorum,
Somnus tenebat dulcis, multa animo voluentem.
Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.
Haud oportet noctē integram dormire conſiliarium virum.

Adijce, quod vigilando, teſte Saluſtio, agendo, bene cōſulendo, proſpere omnia cedant. Improbam voluntatem & improbum laborem omnia vincere obſeruauimus, cunctaque ſuperare.

Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται:
Parere cuncta diligentiæ ſolent.

At pigro, nihil præclarum paret, ſomnolento nihil precioſum cedit, & timidus nihil altum ſuperat. *Quod enim ſpecimen* (verba ſunt Ambroſij) *induſtriæ, quem fructum laboris edere poteſt, quam recipere animo curam ac ſollicitudinem, qui ſe torpori dederit, atque ignauiæ.*

Hi ſacra rapiunt, nulla dant, ſibi viuunt;
At non ſibi moriuntur; at ſibi regnant,
Sibi propinant, ſibi viuunt, ſibi ſtertunt.

Porro

Porro timidi, molles, pigri & ſomnolenti inconſtantes & leues ſunt, atq; ad quid hi vtiles? Audiamus Cæſarem apud Saluſtium ſic loquentem: *Qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur: interdum alia; deinde alia decernunt: vt eorum qui dominantur, ſimultas, aut arrogantia fert, ita bonum malumue publicum exiſtimant. Nihil eſt*, ſcribit Tullius, *quod tam deceat, quam in omni re gerenda, conſilioque capiendo ſeruare conſtantiam.* De conſiliario conſtante loquor, Princeps sereniſſime, de conſtante, haud de pertinace, qui pro ratione rerũ & caſuum ſententiam ſuam mutare abnuit; quippe cum minimis & ſubitis momentis maximæ temporum & caſuum mutationes fiant. Quum iam inclinata nox, quid craſtina dies ferat incertum eſt; puncto & momento res magnæ voluuntur & vertuntur. Nequaquam igitur iniuſtum: nequaquam leuis, mobilis, mollis & inconſtantis animi ſignum eſt, nequaquam turpe eſt, cum mota & mutata re & tempore mouere & mutare, rebuſque temporibuſque applicare atque accommodare cõſilium. *Non inconſtantis puto*, inquit Cicero, *ſententiam, tanquam aliquod nauigium, ex Reipub. tempeſtate moderari.* Et Lipſius, *Sapientiæ*, ait, *partem eſſe, leuiter deſipere, & paulum extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occurſum. Vides ne, vt nautæ vela ſinuent, & obliquent,*

liquent, & teneant nihilominus ſuum portũ; itidem & tu in illa, vel iſta re. Demens eſt, inquit Hippolytus, *qui in errore perſtat, ex cauſſa igitur ſuperueniente mutare conſilium prudentis eſt: præſtat mutare in melius, quam in male ceptis pergere, ſed nec propoſitum infringere cum iudicant canones, qui in melius commutat, it quidem alio gradu, ſed non alia via.* Medicus quidam ægro medicamentum dare iuſſerat, id cõgruens ratus. ſed re maturius deliberata, noxium reperit. Dicemus ne, hic Medicum ſententiam priorem mutare nõ debere. Nequaquam. Eadẽ eſt Conſiliarij ratio, qui conſiliũ vtilitatis publicæ cauſſa mutare tenetur. Nec eſt, ꝙ leuitatis notam timeat. *Nemo enim doctus* (ait Cicero) *mutationem conſilij inconſtantiam dixerit. Nunquam præſtantibus in Repub. gubernanda viris, laudata eſt in vna ſentẽtia perpetua permanſio. Quemadmodum enim in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere nequeas: cum vero id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius quam eo mutato, quo velis tandem peruenire. Sic omnibus in adminiſtranda Repub. idem propoſitum eſſe debet: Non idẽ ſemper dicere, ſed idem ſemper facere.* Pro clauſula Auguſtino auſcultemus ſic loquenti: *Turpe eſt mutare ſententiam, ſed veram & rectam. Nam & ſtultam, & noxiã, & laudabile & ſalubre eſt.* Sicut aũt cõſtantia nõ ſinit hominẽ deprauari;

ſic peruicacia non ſinit corrigi: proinde ſicut illa laudanda: ſic iſta eſt èmendanda. Porro, Decimaquarta Conſiliariorũ qualitas eſt liberalitas. Et licet hæc virtus principẽ maxime deceat, quippe qua populus p̃cipue capiatur, quã amet, quã veneretur, quam æſtimet; in conſiliariis quoq;, tanq̃ talib. qui principis perſonam ſæpe referunt, eandem virtutem deſideramus. Sic eſt, princeps ſereniſſime, liberalis à populo amatus, auarus à populo inuiſus eſt. Liberalis iuſtus præſumitur, auarus iniuſtus, quaſi ille honeſtati, hic quęſtui ſtudeat, aliorum bonis inhiet, & proditioni ianuam aperiat. Liberalis facile pauperibus ſuccurrit, captiuos redimit, ingenia Reipublicæ vtilia fouet, egentium aſylum eſt, atq; reipublicæ commodũ magis quam ſuum quærit; auarus domicilio, victu, veſtitu ſordido vtitur, omnia qua via poteſt (iuſte an iniuſte haud curans) ad ſe rapit, magis proprium, quam Reipub. quærit & curat commodum;

14 Animi qualitas eſt Liberalitas.

Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται

Nihil ſapit, nec vult, quod æquum & fas ſiet.

Fidem, probitatem, cœteraſque artes bonas (teſte Saluſtio) ſubuertit auarus: pro his ſuperbiã, crudelitatem, Deum negligere, omnia venalia habere exemplo ſuo docet.

Etenim nihil hominibus perinde noxium:
Euertit vrbes propriis è ſedibus,
Domoque ciues excutit; docet, animos
Mutat bonos, vt ſe ad malas res adplicent;
Fallacias quæ ſuis ſtruere quibuslibet.
In rebus omnibus agere impie.
Ἀλλὰ σχεδόν τι τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν
Εἴρηκας· ἐν φιλαργυρείᾳ γὰρ πάντ᾽ ἔνι.
Id nempe dicis, omnium quod eſt caput
Malorum: Auaritiam mihi quum nominas.
quæ reuerentia legum,
Quis metus, aut pudor eſt vnquam properantis a-
uari?

Duo ſunt vitia, teſte M. Catone, quib. magna imperia maxime euertuntur: Luxuria & auaritia. Idem voluit Saluſtius, dum inquit: *Cæterum auaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt; quo intendit, oppida, agros, fana atque domos vaſtat: diuina cum humanis permiſcet: neque exercitus, neq; mœnia obſtant, quo minus vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales ſpoliat.* Non eſt, docente Demoſthene, apud eos, quorum omnia ſtudia & cogitationes ad auaritiam referuntur, quidquam vel firmi vel ſancti. Ψεύδεα κ᾽ ἁρπαγμοὺς φιλοκερδὴς, κλέμματά θ᾽ αἱρεῖ. *Semper auarus amat mendacia, furta, rapinas.*

Et Syracides, *nihil eſt*, inquit, *iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet* Omnis auarus, ſereniſſime Princeps, ſeru⁹ eſt, & vile mancipium metalli, quod natura mortaliũ pedibus calcandum ſubiecit. *Auaritia*, teſte Apoſtolo, *omnium vitiorum radix eſt*: Et nihil tam purum, tam ſanctum, tam religioſum quod illa non polluat, violet, & comminuat. *Peſſimũ*, inquit Tacitus, *veri affectus & iudicij venenum ſua cuiq; vtilitas.* priuatę & proprię res ſemper offecerunt, officiunt & officient publicis. Summa, amor pecuniarum & munerum excœcat iudices, & prudentes reddit ſtultos.

15 Animi qualitas eſt Beneficentia. Decimaquinta qualitas eſt Beneficentia; qua mitis ad cuiuis benefaciendum, nulli malefaciendum commouetur. Beneficus propenſus eſt, ad bene de aliis merendum. De Veſpaſiano teſtantur Hiſtorici, quod vbi ſuper cœnam aliquãdo recordatus, quod eo die nemini quicquã pręſtitiſſet: laudatam hanc vocem emiſerit & dixerit; *Amici, diem perdidi*. De hac virtute ita ſcribit Furius: *Hæc eſt*, inquit, *illa virtus, quę beneficentia dicitur; nec in largitione pecuniarium aut aliarum rerum conſiſtit, vt liberalitas; ſed in promouendis cõmodis Reipub. & partibus eius, in admonendo, laudando, reprehendendo, conſolando, procurando, defendendo: non ſolum auxilium ac bene-*

beneuolentiā expetentes ſed & ea ob virtutem cōmerentes. Quinimo beneficus ſi videat vias publicas, fõtes, ac pontes, ſimiliaq; indigere refectione, in id vna cũ principe, atq; miniſtris ſuis omni cura incumbit, quo mature atque vtiliter reparentur: ac ſi quæ male fabricata ſint, diruantur. Idem, iacẽtes atq; oppreſſos ſubleuat, ingrediẽtes ad currẽdum incitat, currentes corroborat: ac ſi ſit in aula principis, recte facientes amat & animat, atque vt in noticiam Principis perducti, honeſte ſuſtententur, efficit: ad faſtigium honoris & gloriæ, virtutis via contendentibus fidem, dexteramq; porrigit. quos vero artib. illicitis atq; inhoneſtis ad ea ſpirare videt, deijcit atque propellit. Inhoneſtis ludis ac iocis ſeſe opponit: vt bonæ leges cõdantur, & inuiolabiliter ſeruentur, curat. Tandem, qui hac virtute præditus eſt, iuſtitiæ potector, defenſor populi, refugiũ nobilitatis, pater patriæ, Principis ornamentum, & quaſi Dens in terris habetur. Nam ad nocendum, minimum quodque etiam ſufficit: ad cõmodandum autem, virtus Deo ſimilis requiritur.

Decimam ſextam porro qualitatem voco Benignitatem & Manſuetudinẽ. Manſuetus enim, & benignus ſummos & infimos, diuites ac pauperes, eadem facilitate audit: ille (iterum Furij *16. Animi qualitas eſt Benignitas & Manſuetudo.*

vtor verbis) *hilari fronte excipit, attente & diligenter ad ipſorum deſideria animaduertit: in reſpondendo beneuolus, in officiorum pollicitatione grauis, iis denegãdis minime ſuperciliofus, in reprehendendo neutiquam iniurius: in hominibus dimittendis minime aſper, velſe efferens.* Hinc euenit, quod qui apud Principem gratiam obtinet, decuplo pluris eam faciat, quam ſit: & qui deſiderio fruſtratus eſt, in beneuolentia, humanitate, dulcibus verbis atq; aperto pectore acquieſcat. Hæc etenim eius ſunt efficaciæ, vt plus moueant animos, quam totius mundi aurum. Et lectione ac experientia docemur, multos dolore quarundam rerum magis ad vitæ atque bonorum neglectionem impulſos, quam infinitis iniurijs. Conſiliarij fores ac aures, noctu diuque omnibus pateant, nec cuiquam occaſionem det animi abijciendi, omnes confirmet: id quod à benignitate & comitate alienus minime faciet. Ad hanc virtutem & beneuolentiam, & humanitatem, & comitatem, & affabilitatem tanquam humanæ conuerſationis condimentum, reijcio. Omnis enim, qui beneuolus, affabilis & humanus eſt, alios affectu beneuolo proſequitur, in quotidianis congreſſibus facile & libenter alloquitur, & leuiter haud faſtidioſe audit: In ſermone, geſtu, actione & officiis præſtandis beneuolen-

lentiam erga alios cum ſuauitate & amabilitate quadam declarat. Sit itaque conſiliarius meus ad Hippolyti monitum, alloquio facilis, neminem expectando fatiget, verecundos & timidos erigat, ciues pariter & exteros ſumma beneuolentia audiat, nullorum preces faſtidiat, facilis ſit in ſalutando & compellando, ne de ipſo dici poſſit, difficilius eſſe famulum alloqui, quam dominũ. Fiet hac ratione, vt non ſolum muneri tanto ſatis faciat: ſed omnium etiam beneuolentiam ſibi conſeruet.

His virtutibus affinis eſt Modeſtia, quam Decimamſeptimam qualitatem ſtatuo in conſiliarijs requirendam. *17 Animi qualitas eſt Modeſtia.* Quæ eſt virtus moderans cupiditates & affectus, quæ temperantiæ adiũgitur, vt virtuti principali. *Modeſtia eſt*, inquit Tullius, *per quam pudor honeſtatis, claram & ſtabilem comparat authoritatem.* Modeſtus igitur conſiliarius ſit erga ſingulos, modeſtus quoque & præcipue erga Principem. Erga ſingulos ita, vt non nimium dignitatis ſuæ faſtigio & contumacia efferatur; erga Principem ita, vt arcana, & (vt Chokirius ait) κρύφια eius non inueſtiget. *Abditos enim Principis ſenſus* (teſte Tacito) *& ſi quid occultius parat, exquirere illicitum & anceps.* Lingua quoq; in principẽ monẽdo moderã da; præcipitium ſibi parãt, qui nimiam corripiendi

di libertatem ſibi ſumit. Sit monitio ſine aſperitate. At cum Rex aut Reſpublica, periclitatur, timore depoſito, vt animam, conſcientiam & famam ſeruet, dicat, moneat, corripiat. Meminerint conſiliarij, ne fiducia, contumacia & ſuperbia efferantur, ſed fragilitatis humanæ haud obliuiſcantur. Omnia humana incerta caduca eſſe, & teſte Valerio Max. fragilia, puerilibuſque conſentanea crepundijs, quæ vires, atque opes humanæ vocantur. Cūcta mortalium incerta ſunt, ait Tacitus, quantoq; plus adeptus ſit, tanto magis ſe in lubrico eſſe: & illud quoque modeſtiæ. famam neque ſummis mortalium ſpernendam, & à Dijs æſtimari. Proſpiciant conſiliarij vitæ rotam, alternas viciſſitudines contemplentur, modeſti domi, foriſque ſunto, vt communem aulæ peſtem, aulicorum ſcilicet inuidiam, & Principis ſuſpicionem vitent.

18. Animi qualitas eſt veritas. Decimam octauam qualitatem voco veritatem, quæ eſt mentis & linguæ temperantia. At quis vir verus? *in quo*, reſpondit Marſius, *nihil effœminatum, nihil efferatum, nihil ſimulatum, nihil quod nō virtutem præ ſe & intra ſe ferat.* Magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas inſidias facile ſeipſam defendit. Veritas, teſte Platone, apud Deum homineſ-

mineſque bonorum omnium potiſſima eſt, cuius inprimis eum participem eſſe oportet, qui futurus eſt fœlix. inquit ille, Fides ſiue veritas ſtabile & æternum facit imperium, & eſt ſanctiſſimum humani pectoris bonum, nec vlla res vehementius Rempub. continet quam fides, nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nunquam etiam corrumpitur.

At tanto quidem ſplendore in conſilio fulget fides, vt ſine ea omnes reliquæ virtutes fiant obſcuriores: ab ea vero ſingulæ ſic lumen accipiunt, vt à ſole, luna, ac omnes ſtellæ cœteræ; vt præclare de hac re Patritius diſſerit: Et poſtquam quislibet, imo infimi gradus homo mendacem hominem deteſtetur & fugiat, multo magis Principem non fugere mendacem conſiliarium ſolum ſed ex aula ſua fugare oportet.

Epaminondas dux Thebanus, tam ſeuerus veritatis cultor fuit, vt ne ioco quidem vnquam fefellerit. Fridericum quoque tertium Imp. nunquam fidem fefelliſſe compertum eſt. Sigiſmundus Imp. militi id quod promiſſum erat exigenti: malle ſe reſpondebat rerum quam famæ iacturam ſubire.

Carolus quintus Imp. ſæpiſſime dixiſſe ſcribitur: Fidem rerum promiſſarum, etſi toto mun-

do exularet, tamen apud ſeſe conſiſtere oportere, nec vllius rei ergo ſe illam mutare aut labefactare velle.

Vtinam hic adeſſent conſiliarij impudentiſſime mendaces, & me hæc proferentem auſcultarent, me, inquam, auſcultarent, ad hæc illuſtriſſima Exempla erubeſcerent, atque ex Principum concilijs irent.

19. Animi qualitas eſt Taciturnitas.

Veritatem porro comitatur Taciturnitas; Hæc Decimanona qualitas eſto: quæ nempe arcana conſilia in pectore retinet.

Si Amicus de priuata re conſilium aperiens culpetur, & ex amicitiæ vinculo excluditur: multo magis is culpandus eſt, qui de Reipublicæ ſalute, cōnſilium contra datam iuratamq; fidem, diuulgat.

Linguam frenare & coercere magna & ſingularis prudentia eſt, ad quam natura adhortatur, quippe quæ linguam dentium & labiorum valle muniuerit. Taciturnitas optumum & tutiſſimum rerum gerendarum vinclum dicitur; nec dicitur, ſed & reuera eſt. Arcana n. conſilia ſilētio obſignanda ſunt: Hoc Hephæſtio fecit: hic cum arcanas quaſdam literas legiſſet, detractū annulū ori ſuo admouit, eoq; ipſo occultum ſilentiū, quaſi impreſſit. Etenim *Sacramētum* (teſte Angelo Dei)

Regis

Regis abſcondere bonum eſt. opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt: Et Iſocrate monente, *verborum depoſita diligentius tuenda ſunt, quam pecuniarum.* Quare optime & ſapienter Socrates diſcipulos ſuos admonebat, vt tria præcipue in omni vita haberent: in animo prudentiam, in vultu verecũdiam, & in lingua ſilentium.

Ὅστις λόγους γὰρ παρακαταθήκην ὡς λαβὼν,
Ἐξεῖπεν, ἄδικός ἐστιν ἢ ἀκρατὴς ἄγαν.
Ὁ μὲν διὰ κέρδος ἄδικος ὁ δὲ τοῦτο δίκα
Ἀκρατής. ἴσως δ' γ' εἰσὶν ἀμφότεροι κακοί:

Commiſſa cui ſunt verba, ceu depoſitum,
Si retegit, eſt iniquus, aut eſt garrulus.
Si ſpe lucri, eſt iniquus. hac ſine garrulus,
Cenſendus autem vterque pariter improbus.

Hanc ob rationem Reges Ægyptij, vt conſiliarijs taciturnitatem imprimerent, legem promulgarunt, quia, teſte Dione, linguam abſcindi iubebant ijs, qui arcana Reipublicæ retuliſſent. Vtinam, vtinam adhuc inter mortales, quod Iuſtinus de antiquis narrat: *illis fortior taciturnitatis cura*, inquit, *quam vitæ celebrata erat, ſæpe tormentis pro ſilentio rerum creditarum, mortui ſunt.* Pompeius autem Romanorum legatus à Gentio Rege interceptus, priuſquam vellet arcana ſenatus ſui detegere, mori non recuſabat, idque vt Regi

oſtenderet, nihil ſe per tormenta reuelaturum, ardenti lucernæ digitum cremandum præbuit, eaque patientia, regi ſimul & deſperationem tormentis quicquam cognoſcendi excuſſit, & expetendæ amicitiæ populo Romano magnam cupiditatem ingenerauit. Nec ſilere tantum oportet lingua conſiliarios, ſed & mente. Multi enim, teſte Polybio, ſermone quidem celantes, ipſo aſpectu & vultu, aut factorum aliquo reuelarunt ſecreta. Multa inter conſultandum, vt ille ait, excidunt dicentibus, quæ clauſtrum concilij exire non debent, tum quia malitioſe explicari in contrarium â non intelligentibus poſſent, tum quod nõ expediat priuſquam formam ſuam accipiant præſciri.

Laudanda & prædicanda conſiſtorij Spirenſis conſtitutio hæc: *In ſenatu geſta, dicta, iudicata, æterno ſilentio teguntο: nihil iniuſſu Cæſaris reuelanto.* In conſiliario igitur

Γλῶσσα χαλινὸν ἔχοι κραδίης ἔνδοθε δεδέντα·

Lingua ſuos habeat frænos in corde ligatos.

Nam

Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus;

At contra grauis eſt culpa, tacenda loqui.

Arcana, dixi, tacenda & haud reuelanda eſſe, multa namque tractari ſolent, quæ non ſunt arcana,

cana, & à conſiliarijs libere, imo prudẽter enarrari poſſunt, quæ Principis conſiliariorumque virtutem & vigilantiam teſtantur, ex quorum relatione neque ſcandalum neque periculum eſt timendum. IV. porro cautiones pro taciturnitate, ex cuiuſdam magni nominis politici ſcriptis recitabo: Primum, vt in conuiuijs (in quibus maxime lubrico libertatis peccari ſolet) linguam contineas, memor præcepti Biantis: ἄκουε πολλά, λάλει ὀλίγα: *Audi multa: Pauca loquere.*

I. Ideoque CHILON Lacedæmonius cum alias ſemper, tum præcipue in conuiuio linguam præcipiebat continendam: quod illic cibus & potus inuitet ad intemperantiam. Porro vbi plus eſt periculi ibi maior eſt adhibẽda cautio: à vino maxime, quod immoderate ſumptum, pro veneno eſt. Fuge igitur, ſi non conuiuia, certe temulentiam: nam onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne ſecretum quidem; quod ſuum, alienumque eſt, pariter effundunt, ait Seneca Noui ego aulam magni Principis, vbi ſecreti concilij conſiliarij quotidie frequentabant conuiuia; ô veram & vnicam cauſam & viam per quam, inimici, contra quos Princeps bellum gerebat, omnia & ſingula in concilio illo ſecreto concluſa ſcirent.

II. Vt merito Archidamidas accuſanti Rhetorem quendam, quod admiſſus ad conuiuium nihil dixerat, reſponderit: *An ignoras eum, qui dicendi peritus ſit, dicendi quoque tempus cognoſcere?* Sciebat enim ille in conuiuio & mero, tempus dicendi non eſſe.

Siquidem vt bene, & ſignificanter Diuus ſcripſit Ambroſius: *Plerique vino vtuntur, vt equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ ſtatum, ſalutem ciuium, defenſionis ſuæ prodant conſilia. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?*

III. Teſtor M. Craſſum apud Romanos, qui bello contra Dacos & Baſtarnas, admiſſis eorum legatis, eos retinuit, poſtridie reſponſurus, liberaliterque admodum tractauit, vinoque inebriauit: quo factum eſt, vt omnia eorum conſilia detexerit.

IV. Conſimili arte tradũt olim vſum Bonoſum Imperatorẽ, quẽ ſæpe dixiſſe ferunt, nõ vt viueret natũ eſſe, ſed vt biberet. Is igitur quoties Barbarorum legati vndecunq; gentium ad eum veniſſent, propinato vino ebrios eos reddebat. Itaq; ab his per vinum, quæ vellet cognoſcebat. Ipſe, quantumcunq; bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius, & adhuc in vino ſagacior.

V. Ideo

V. Ideo prudenter admodum Zeno Athenienſis, qui ad Cœnam à quibuſdam legatis inuitatus, non tantum à nimio vſu vini abſtinuit, verum etiam ipſo tempore cœnæ conticuit: quib. mirantibus, atque ſciſcitantibus, ecquid Principi ſuo de ipſo referrent, reſpondiſſe fertur: Vidiſſe Athenis ſenem, qui inter pocula noſſet tacere. Indicans neceſſariam eſſe in fœcundis calicibus taciturnitatem, qui, vt Horatius veriſſime inquit, neminem non fecere diſertum.

Vnde concludo, prouidentis eſſe Aulici, nedum Conſiliarij ab immoderato vino abſtinere: cum in Aulis etiam hodiernis *Bonoſi* ſunt, & *Craſſi*, qui ſpecie beneuolentiæ ad menſuram, immo ſine menſura bibere alios cogunt aut inducunt, quo à madidis & ebrijs arcana eliciant, quæ à ieiunis & ſiccis nequaquam poſſent.

Secundum eſt, vt à diſcordia & peruicacia tibi caueas; quæ vbi inter te, & alios conſiliorũ Adminiſtros inualuerint, non eſt quod porro putes te, aut ſecretum, aut fidem fore. Sapientia non es maiori, quam quorum conſtantia firmiſſima fuit aduerſus omnium corruptelarum illecebras; & tamẽ pleriq; (quos ne nominem, facit conſanguineorum, qui ſuperſunt pudor) fidem excuſſere, ob hanc vnam ſcilicet diſſenſionis cauſam.

Qui

Qui de rebus Turcicis ſcripſerunt, inter alias cauſas, quamobrem ſæpicule Turcæ conſiliarij ſecreta conſilij pandunt, hanc afferunt, quod in conſilio alter plerunque ab altero diſſideat, & quo æmuli conſilium impediant, vel obſtent, quo minus laudem aut præmium inde capiant, noſtris, aut his quorum intereſt, ea patefaciunt; ſi non per ſe at per famulos, qui magnis aucti ea re præmijs, paria hoc modo cum obſequijs ſuis facere coguntur. Tertium eſt, vt ab fœmineo ſexu tibi caueas. Habet enim vim quandam ad elicienda animi arcana, cui ſi ſemel detexeris, iam non arcana, ſed lippis erunt omnibus & tonſoribus nota. Quis neſciat hunc ſexum opido infirmum eſſe, nihilq; arcani retinere poſſe? O quot occultæ cõſultationes p mulieres publicatæ! quot coniurationes patefactæ! I. Teſtis Catilinaria apud Salluſtiũ: Piſoniana apud Tacitũ. II. Scimus ẽt Auguſtum Cœſarem, cum aduerſariorum vxorib. fuiſſe, quo facilius cõſilia eorum exquireret. III. Et ſuperiori ætate Carolum V. Imperatorem, inſigni mulieris vaframento, Lutetiæ hoſtili manu ereptum fuiſſe, habent patres noſtri in memoria. IV. Noſtris denique temporibus Sultanæ, quæ ſunt Imperatoribus Turcarum pellices, cum in perpetuo ſeralio habitent, vbi negocia præcipua tractantur,

tur, arcana eorum per Eunuchos, qui ſui cuſtodiã habent, aliorum Principum miniſtris reuelant: ſtudent n. hoc officij genere, Principũ animos ſibi deuincire, vt ſplendidũ aliquod munus ab ijs eblandiantur. Hoc cũ ita ſit, cũ ſacra pagina ſuaſerim, vt ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodias clauſtra oris tui, niſi velis cũ Sampſone periclitari. Quartum, ac poſtremum eſto, vt à muneribus aliorum Principum, præſertim penſionibus, tibi caueas: ſiquidẽ teſte Oratore, corrumpuntur, deprauanturq; hominum mores admiratione diuitiarum. Notum eſt adagium: *Muneribus vel Dij capiuntur.* Et illud Pindari. κέρδει καὶ σοφία δέδεται: *Lucro etiã ſapientia capitur & irretitur.* Itaque haud ferme eſt, vt qui præmiis ab aliquo donatur, lingua ei cõſiſtat, palamq; non faciat, & pandat conſilia Principis ſui: q̃ & vidit Imperator Leo, qui ꝓpterea ſic filium monebat: In reb. occultis & abditis, fideles adhibe tibi, & temperantes viros & taciturnos, & qui in tua, & non aliorum poteſtate ſint. notanter hoc poſtremũ addit, qui in tua, &c. ꝓpter nonnullorũ calliditatem improbã, q̃ tametſi vni Principi ſeruiant alteri tñ penſionib. & præmijs fidẽ addictam habent. Res, quæ hodierno & priſco æuo multas perdidit reſpublicas, nedum Principes, vt alibi oſtendi. Certe, ſatis conſtat,

V Philip-

Philippum I Macedonum Regem, nulla alia ratione vniuerſam ſibi Græciā ſubieciſſe, quā fraudibus (vt vocant) Penſionariorum; vulgoq; de eo iactabatur; Non Philippum ſed Philippi aurum ſubieciſſe Græciam. Quin & Perſarum Reges, quo belli impetum ab Aſia auerterent, penſionibus tentarunt, & quidem fœliciter Plutarcho auctore tentarunt. Pro huius demum materiæ de Taciturnitate, clauſula, illud Q. Curtij, quod omni Principi, Princeps Auguſtiſſime, omniq; cōſiliario imbibendum & in venas immittendū ſuadeo, adclamare placet: *Res magnæ ſuſtineri ab eo non poſſunt, cui tacere graue eſt.*

20. Animi qualitas eſt ſapientia & prudentia.

Viceſima qualitas, ſapientia & prudentia eſt. Sapientia ſecundum Ciceronem, eſt rerum diuinarū & humanarum perſpicientia: Et ſapiens dicitur is qui nihil agit, quod non debuit, & nihil prætermittit, quod agere debuit. Prudentiam Ariſtoteles cœterarum virtutum omnium moderatricem atque directricem appellat. Hinc etiam prudentia oculus practicus à prudentibus nominari ſolet. O magnam & Reipublicæ vtilem virtutem prudentiam! Hæc omnia cogitata, omniaq; acta ad rectę rationis normā dirigit, hęc nihil p̄ter rectum, nihil præter iuſtum, nihil præter honeſtum & laudabile facit. Hæc præit, hæc ducit

ducit ad recte faciendum; hæc præſentia ornat, futura præuidet & prouidet, nec nõ præterita recordatur.

Omnia quæ ſunt, famulari dicuntur prudentiæ.

Prudentię inſunt ratio, intellectus, circumſpectio, ꝓuidentia, docilitas & cautio. prudentes igit᷑ cenſemus eos qui q̃ ſibi, quæq; hominib. conducunt accurate poſſunt diſpicere. Prudentes cõſulunt, iudicant & ꝑcipiunt ea, q̃ ad bonum finem Reipublicæ pertinent: hanc virtutẽ ſoli boni viri ſibi vendicant. Neq; abſq; prudentia aliæ virtutes fiunt, neq; prudẽtia vera ſine alijs virtutib. cooperantur inuicem. Et quamuis prudentiæ ad oẽs res humanas vſus ſit, ad imperium tñ omnium maximus vſus eſt. ἡ φρόνησις, ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη: *Prudentia, imperantis propria & vnica virtus.* Et quis eſt, cui ſapientia & prudentia magis conueniat, quam Principi, & Reipublicæ rectori, quippe qui vno capite tanq̃ ſapientiæ freno, tot capita in obedientiæ gyro regit; qui vno capite tot capitibus iura & iuſſa dat, qui vno ſuo capite omnibus & ſingulis ſubditis debet prodeſſe. Summa poteſtas ſummam prudentiam deſiderat. Quapropter Iure, iure ſapientia & prudentia Principi & inſit & adſit. Addidi, & adſit, quippe cum multa ſint quæ Natura, arte & experientia vnus

haud adipiſcitur, ea à ſapientibus & prudentibus multis ſumenda ſunt.

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει:
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

Laudatiſſimus eſt, ipſus qui cuncta videbit:
Sed laudandus & is, qui paret recta monenti.

Adiutoribus igitur Principi opus eſt, & adſumendi prudentes. Hoſce prudentes adiutores ſint conſiliarij, Principis defectum ſupplentes. Hinc videre eſt, ſapientia, ſcilicet, & prudentia (ſapientiam & prudentiam hic pro vna eademq; vſurpo) quemlibet conſiliarium, tanquã precioſo ornamento decoratum, tanquam ſplendido ſidere adornatũ, tanquam lucentiſſimo carbunculo conſpicuum eſſe oportere. Talis eſto omnis conſiliarius, ſapiens ſcilicet & prudens: Nomine prudentiæ, inquam, venerandus eſto; Nomine ſapientiæ admirandus eſto; publicarum rerum adminiſtrationi per ſapientiam & prudentiam accommodatiſſimus eſto.

21. Animi qualitas eſt Pietas.

Ad Viceſimam primam qualitatem tandem progredior, quæ eſt virtutum omnium prima & ſumma; reliquarum quaſi Regina & Mater, pietas, quam Lipſius definit rectum de Deo ſenſum, rectum in Deum cultum. Religio Deum ter Opt. Maximũ recte agnoſcit, Deum recte colit. Hanc ob ra-

ob rationem Propheta Dauid, Pietatem omnis ſapientię, omniſque virtutis fontem ſiue initium appellat; quippe, quæ omnes cœteras virtutes & parit & gremio continet. Hanc itaque virtutem præ cœteris ſibi commendatàm habeant conſiliarij. Hac ita decorati, hac ita præditi ſint, vt bono exemplo ſint & Principi ſuo, & Principis populo, tum quia populus talem Principem iudicat eſſe, quales ſunt Principis amici: tum quia tales imitari ſtudet; tum quia colentibus Deum omnia proſpere euenire credit; tum quia impij & irreligioſi à Deo grauiter puniri, eorumque opera male finiri ſcit populus.

Hanc ob rem cuncta conſilia omneſque actiones cum pietate incipiant cóſiliarij, cum pietate eadem continuent; cum pietate denique finiant; & fœliciter, (ſcio) ſingula finient. Deus eſt, qui mentem dat; Deus eſt, qui animū confirmat; Deus eſt, qui fraudes & tumultus inteſtinos comprimit, qui pacem ſtabilit, qui hoſtem repellit, & victoriam largitur.

Deus demum eſt, qui prudentiam, qui ſapientiam, qui bonum conſilium ſuggerit. Conſiliarius igitur qui ſalubriter & bene conſulere cupit, ab hoc ſole, ab hoc numine ſapiētiam petat, Deū ille veneretur, colat & amet. *Fallunt*, inquit Valerius

Max. *qui humanis imperiis & regibus, nõ vltionis diuinæ metu reſpublicas contineri docent: humana cõſilia caſtigantur, vbi cæleſtibus ſe præferunt. Bene vniuerſa geruntur & competenter*, ait Imperator Iuſtinianus, *ſi rei principium fiat decens & amabile Deo.* Sciant omnes conſiliarij, licet Deus natura bonus & propitius, nihilominus & malorum obſeruator, malorumque vindex & caſtigator ſit. Numini nil ſecretum eſt, nil clauſum, nil abſconditum, nil incognitum.

Ὀξὺς Θεοῦ δ᾽ ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πάντ᾽ ὁρᾷν.

Acutus ad cernenda cuncta oculus Dei.

Quem quia reſpicit omnia ſolus,

Verum poſſis dicere ſolem.

Non ſupplicia merita impij

Vnquam effugere potuere.

Tarditatem ſupplicij, Deum ſæpe grauitate compenſaſſe obſeruauimus. ô, ô conſiliarij

Innocui viuite, Numen adeſt.

Vtinam conſiliarij hoc audiant, audiant hoc, hoc capiant; honeſte viuant, neminem lædant, ſuum cuique tribuant, bona, Deo amabilia conſilia Principi ſuggerant, in omnibus negotijs pietatem magnifaciant, præque oculis habeant, & cœteras virtutes & vires ſuas ad Pietatem dirigant.

Hac

Hac enim virtute carens, omnibus caret. Pietatem ſequuntur omnes virtutes cœteræ. Pietate adquiritur vera fœlicitas, & ſucceſſus rerum proſperitas, quæ *habet promiſſionem*, teſte Apoſtolo, *huius & futuræ vitæ. Neque enim ſine Deo vir eſſe bonus*, vt Seneca ait, *poteſt; nec poteſt quiſquam ſupra fortunam exſurgere, niſi à Deo adiutus fuerit.* Et Liuius: *omnia proſpera*, inquit, *eueniunt Deos colentibus: aduerſa aſpernantibus.*

Et fatetur atque teſtatur Cicero, Romanos, non Hiſpanos numero: non robore Gallos: non calliditate Pœnos: ſed religione ac pietate omnes gentes ac nationes ſuperaſſe.

Quin & tollitur fides ac ſocietas generis humani pietate erga Deos ſublata Et ſacræ literæ, inſeruire Domino: oſculari filium iubent. aperire portas regi gloriæ. agere nutricios Eccleſiæ iubent.

Porro, ſunt & multæ aliæ animi virtutes & qualitates, quibus conſiliarij præditi atque adornati eſſe debent, vt eſt Temperantia, frugalitas, continentia & caſtitas, ſedulitas, candor, vrbanitas, concordia & id genus aliæ. Sed recitatis & declaratis principalioribus hiſce, cœteras ſilentij velarijs inuoluere conſtitui.

Ex ſupradictis viginti & vna qualitatibus ſatis *Difficultas re-*

periuntur conſiliarij omnib. ſupra recitatis animi qualitatibus prædi- ti: quid igitur in electione eorum principi obſeruandum, vt nihilominus virtute & prudentia præditos recipiat conſiliarios.

tis ſuperque cognoſcet Princeps, an, quo ad animum, quis conſiliarij munere idoneus & dignus ſit. Harum prout plures aut pauciores in viro inueniuntur, ita aptior, ita & ineptior eſt tali dignitate. Difficulter, fateor, recitatis animi qualitatibus omnib. ornatum aliquem reperiet Princeps: Et licet tales habere non poſſit, varios tamen, vt ille ait, pro negotiorum diuerſitate vocet: vt ecce, ad res bellicas expeditos viros militares; Iuriſperitos ad iuris quæſtiones, explicandas; Theologos ad ea quæ religioni propria ſunt; ratiocinatores ad pecuniarias rationes; denique ad vniuerſam Reipubl. adminiſtrationem homines prudentes, politici ſtatus ſcientiſſimos, & in gubernationis laude claros. *Vnuſquiſque* enim, vt ait Spiritus ſanctus, *in arte ſua ſapiens eſt.* Hæc dixeram ego, & tam longo ſermone auſcultantem Principem dederam in diligentem attentionem, quem tamen abrupit ille, & intellexi, Eluere, inquiens, intellexi ex tua oratione quaſdam qualitates in cōſiliario requirendas in eo innatas eſſe, vt ingenium: quaſdam acquiſitas, vt artes, diſciplinæ, virtutes.

De Corporu qualitatibus in conſi-

De his hucuſque alto & conſtanti ſermone me attentum reddidiſti; Nunc, quæſo, ad reliquas, ad corporis ſcilicet qualitates, quæ in conſiliarijs

liarijs ſint deſiderandæ, oratione perge. Ego non diu meditatus, orationem meam continuaui: & prima, inquam, qualitas in conſiliarij corpore requirenda eſto Ætas; Vt ſcilicet & ſenes, nec nimis ſenes, vt ſcilicet & iuuenes, nec nimis iuuenes eligantur. Sunt quidam Politici doctores (& inprimis Furius, cuius verbis hic vtar) qui ſtatuunt, conſiliarium triginta annis maiorem, & ſexaginta minorem eſſe debere. quippe quia triginta annis iuniores, experientia deſtituti ſint, ac vitijs naturæ quam maxime obnoxij, perturbationibus animi, calore iuuenili, præcipiti temeritate, inflato ſpiritu ferantur, debitam grauitatem ſeruare inſcij: proinde populus pleruмque conſiliis ipſorum diffidat. Poſt annum porro ſexageſimum ingraueſcente ætate, memoriæ vigorem flacceſcere, intellectum vacillare, experientiam in obſtinationem conuerti, calorem, actionum ſtimulum minui, quo ipſo rerum occaſiones negliguntur; corpora debilitata atque laboribus fracta itineribus faciundis inepta eſſe: itaque aulæ inutile pondus putari.

liariis conſiderandis.

1. Corporis qualitas eſt iuſta ætas.

Ego hoc concedo, & ſic ſtatuo: poſtquam ad bene conſulendum magna prudentia, magnuſque rerum vſus neceſſarius ſit, atq; illa non

facile breui tempore comparari poſſint, ad conſultationes ſeniores potius, quam iuuenes eſſe vocandos. *Experientia*, inquit Iſocrates, *& rerum multarum vſus ſenes erudit, atque efficit, vt quid expediat, acutius, quam alij, proſpiciant.* Cicero, *Temeritas eſt floreſcentis ætatis*, dicit, *prudentia ſenectutis.* Ariſtoteles, vires pollere, ſcribit, in iuuenibus, prudentiam in ſenibus. Patientiſſimus Iob, *in antiquis eſt ſapientia*, ait, *& in multo tempore prudentia:* Plato, *Non floreſcit virtus animi*, ſcribit, *niſi virtus corporis defloreſcat. Annorum multitudo ſapientiam docet*, teſte Saluſtio. *& quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum eſt.* Prouerbio dicitur: *Annus fert roſas, non ager.* Et Hieronymus, *omnes pene virtutes corporis mutantur in ſenibus*, inquit, *& creſcente ſola ſapientia, decreſcunt cætera. Seneſcentib. vitiis*, ſcribit Liuius, *feruore & audacia, ætate ſublata, conſilium indies creſcit: eſt corporis infirmitas mentis ſobrietas: ſeneſcentibus corporis membris, ſenſibus emollitis, in conſilium proxima tranſeunt.* Accedit experientia, & rerum multarũ vſus: vt tertium quendam, monente Platone, oculum ſenes habeant, quo rerum euentus facile proſpiciunt. Et, *vt medicus ille melior*, vt ille ait, *dicitur, qui diutius inter ægrotos verſatus eſt, aut ipſe æger extitit: ita ſenex acutius proſpicere iudicatur, quid expediat, quam iuuenis.*

Sene-

Senectus nos ab imprudentiſſimis Dæmonis liberat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget ſapientiam, dat matura conſilia. Econtra plerique iuuenes audaculi ſunt, nimium gloriç cupidi, inconſtantes, temerarij, & mutabiles: quare iuuentus lubrica moribus ætas dicitur. Intemperantes porro ſunt, proprij iudicij ſunt admiratores, alieni contemptores: Honorum & contentionum amantes. & quæ illi agunt nimis agunt. Non ſecus ac amnes, quâ viâ data eruptio, illuc excurrunt.

Libidinoſi, authoritate deſtituti ſunt, nec multum varijs caſibus exercitati & tentati, conſilijs ijs adhærentes, quæ magis magnifica, quam ſecura ſunt, animi perturbationibus inquieti. *Iuuentus variis cupiditatibus obnoxia,* ait Syneſius, *iræ, deſiderio dominandi, ambitioni, intemperantiæ ac vehemens in illis impetus in vtramque partem.*

Iuuenes molles ſunt, aſſeuerante Saluſtio, molles & ætate fluxi, & dolis haud difficulter capiuntur. *Eſt adoleſcentiæ ac florentis ætatis propria temeritas*, vt Cato ait: *Per ætatem*, inquit Comineus, *Imprudenter multa faciunt, nec rerum ante exitus vident: ſunt maxime in eo vituperandi, quod illos, quorum ſequi conſilia debebant, aſpernantur.* Ad honores euecti in-

temperanter, teſte Seneca, ſeſe gerunt: ad aliorum iudicia & opiniones reſpiciunt: peiora facile præcepta audiunt: affectus vehementes habent, eoſdemque regere nequeunt. Hiſtorici teſtantur ſæpiſſime calidis ſuis conſilijs iuuenes miſerrima reipub. naufragia feciſſe, ſeque vna cum republica præcipites egiſſe. *Vt* enim *nouelli citharœdi*, ait Xenophon, *multas citharas perdunt, ita cupidi iuuenes rempublicam.* Quales eſſe ſolent in conſiliis, Roboamus docet, qui relicto ſeniorum conſilio, ſeipſum maxima regni parte priuauit. Authoritate inſuper deſtituti ſunt iuuenes, ad iubendum, ad ſuadendum non minimum valentes. Diſplicent illi ſenibus, diſplicent illi iuuenibus; iſtis, quia ſe ætate inæquales; illis, quia ſe prudentia & experientia ſuperiores arbitrantur. *Vulgus opinatur*, inquit Bodinus, *iuuenes aut nũquam, aut raro admodum ſapientia præſtare: opinio plebem ſæpe magis mouet, quam res ipſa.* Adde quod cum deſperatione & ſuſpirio prudentum votum ſit: vt ſcilicet *iuuentus ſapiat, & ſenectus valeat;* & tum beatas fore res humanas, ferunt. Hæc omnia tamen cum mica ſalis ſunt intelligenda: quippe

Multos iuuenes vidimus, in quibus ſenectutem venerabilem morum, & canam prudentiam obſeruauimus.

Πολλ

Πολιὰ χρόνου μήνυσις, οὐ φρονήσεως,

Cani indices ætatis, haud prudentiæ.

Vt iure cum Comico dixerim:

Non ætate, verum ingenio adipiſcitur ſapientia.

Virtus ætatem legitimam, inquit ille, *admiratio virtutis authoritatē facit*. Et habent ſenes ſua quoq; vitia. Frigent nonnumquã & torpent ſenum cõſilia, non ſecus ac ipſorum corpus friget ac torpet: Hinc etiam eſt, vt propter ſanguinis inopiã & frigoris copiã ſint timidi: Moroſi ſunt ob atram bilem: Loquaces ſunt, quia virium inopiam, verborum copia penſare conantur. Queruli ſunt, quia præſentia haud illis placent, ſed tantum præterita. Multis corporis defectibus laborant, alius viſu, alius auditu periclitatur. Quicquid in natura eſt ruinoſum & interitui obnoxium in ſenectutem ſeſe effundit, & ſeponit, ita vt nullis remedijs auerti, nec niſi ſola morte auelli queat. Senes, porro, teſte Ariſtotele, vtilitatem magis ſpectant quam honeſtatem: Iuuenes vero priuata cõmoda pro honeſtate negligunt. Illi ad opes, iſti ad honores ſpirant. Senes ideo vtilitatem valde amant, quia imbecillitate ſua cognita, præſidium & opem in nummis queritant. Timidi inſuper ſunt ſenes, ſuſpicaces, & increduli, dolorum & laborum impatientes, obliuioſi. Porro, Iuuenes apud Ro-

X 3 ma-

manos ad conſilia admiſſi, & in ſenatum & ad ciuilia munera vocati ſunt. *Apud maiores*, inquit Tacitus, *Virtutis id præmium fuerat, cunctiſque Ciuium ſi bonis artibus fiderent, licitum petere Magiſtratus: ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin prima iuuenta* (minores ſcilicet 25. aut 20. annis) *conſulatum ac dictaturas inirent.* Et in Republica Perſica, qui inter perfecta ætate viros ſine repræhenſione ſe gerebant, fiebant, teſte Xenophonte, ex ordine ſenio rum. Mea demum de hac re ſyncera veraq; ſententia hæc eſt: vt & iuuenes nonnullos triginta annis minores, vt & ſenes ſexaginta annis maiores cœteris ſint adiungendi conſiliarijs. Minores triginta annis tales puta, qui ob ingenij præſtantiã, ob eruditionis excellentiã, virtutumq; ſuarũ merita, non pro iuuenibus, ſed pro ſenib. ſint habendi, & quorũ ætas cupiditates adoleſcentiæ iã effugerit, nec non efferbuerit; Atq; hoc dico propter hanc rationẽ, ꝙ ſcilicet *ibi*, aſſeuerante Ambroſio, ſit *perfecta ætas, vbi perfecta virtus*. Nec prudentia in barbis ſiue in canis, ſed in mente eſt. Illa Principi meo videat' ſenectus in homine, nõ quæ crine, ſed q̃ virtute albeſcit, magis canities vera in animo, quam in capite coruſcat. *Non eſt*, inquit Ambroſius, *omnis barba venerabilis & apta, ſed illa, q̃ non canis, ſed meritis albeſcit.* Et eſt canities animę in canis cogitationib, ac operib, fulgens, Nec anno-

rum ſpacium, ſed, teſte Iſocrate, ingenium ac diligentia in cauſa, vt alios prudētia ſupent: Ideoq; nulla in conſilijs ætas repudianda. Neq; ab excellēti & eximia virtute, monente Tullio, ætatis ꝓgreſſus nō eſt expectādus. *Iuuenes*, ait Gregorius, *dici ſolent, q nulla conſilij grauitate deprimuntur.* Senes vero non eos ſacra ſcriptura vocare cōſueuit, qui ſola temporū quantitate, ſed qui morū grauitate maturi ſunt. Vnde in libro ſapientiæ, *ſenectus honorabilis eſt non diuturna, neq; annorū numero computata. Cani n. ſunt ſenſus hominis, & ętas, vita im̄aculata.* Itaq; in morib potius quā in annis ſenectus quęrenda & conſideranda eſt: *In quibuſdam* enim, atteſtante Seneca, *non pueritia, ſed,* ꝙ grauius eſt, *puerilitas remanet*. Si porro in vocandis conſiliarijs ſenectutē corporis ſpectaret Princeps, ſępe virtus priuſquā prodeſſet Reipublicæ, extingueretur. Scimus ꝙ Prouerbio dicitur, *præcocia ingenia haud diu viuere.* Qui iuuenum honoribus obſtant, non ſecus atq; arbores vetulæ, teſte Plutarcho, ſubnaſcentes arbuſculas premere ac necare vmbra ſua videntur: cum tn̄ expediat, iuxta annoſas arbores nouas plantas inſerere, quæ poſt interitum vetuſtarum locum tenere poſſint. Adiungendi igitur ſenibus iuuenes, quia bona hæc miſtio erit: quippe quemadmodū nimis forte vinū diluitur

aqua,

aqua, & inſanus aliquis, iuxta Platonis ſententiã, ſobrio temperatur; ita coniungenda cautio & prudentia ſenilis cum feruenti ſtudio & labore iuuenili. Huic noſtræ ſententiæ aſtipulatur Petrus Gregorius dum ſcribit: *Alienum non erit omnino à munere, admittere cum ſenibus aliquos probos iuuenes, qui ex ſeniorum factis dictiſq; diſcant in poſterũ ſimilia & dicere & conſulere: vti & aliquando admiſſi ſunt in Curiam cum patribus Senatoribus filij, vſque ad Papyrium. Expedit enim iuxta annoſas arbores, nouas plantas inſerere vel plantare, quæ poſt interitum vetuſtarum, in locum earum ſuccedant.* Non enim homines in hoc ſeculo immortales ſunt, vt iidem poſſint cum principatu perpetuo viuere. Porro aptius & facilius negotia implicita explicari poſſunt ab his, q quotidiano vſu eadem tractarint: vt profeſſus eſt Q. Scæuola, legum clariſſimus & certiſſimus vates: & Plato, vt refert Valerius Maximus. Itaque tales, repeto, iuuenes, tales eligantur, quibus ſuffragatur eruditio, virtus, & naturale (vt vulgo dicitur) iudicium, cũ annexa mediocri experientia. Adijce, quod iuuenis diu ſenibus & prudentibus conſiliarijs aſſidens, quam plurimum prudentia proficiat, & quod anno ætatis ſuæ quadrageſimo & deinceps Reipublicæ longe vtilior eſſe poterit illo, qui quadrageſimo ætatis ſuæ anno ad conſi-

lia primum vocatus fuerit. Hinc eſt, quod multi Reges ſapienter obſeruarunt, vt primogenitum filium, futurum regni ſucceſſorem, licet adhuc puerum, ad conſilia vocarint. In hiſtorijs ego notaui, veteres Gallos hunc morem habuiſſe, & ſanctè obſeruaſſe, vt Principes regiæ ſtirpis conſilio Regis ſemper adeſſent. ibi tanquam in politica ſumma ſchola deliberare, reipublicæ inſeruire, & populum regere addiſcerent.

Porro vt iuuenes à conſilijs Principum excludendi non ſunt, qui Natura eruditione & virtute ſunt decorati, ita nec ſexagenarios promiſcuè excludendos & reijciendos eſſe ideo ſtatuo, quod ſcilicet, multos ætate iam deuexa, animo planè vegeto eſſe obſeruauerim.

Scio quoque, Iuriſconſultos ſenes illos ſeptuageſimum annum attingentes infirmos præſumere, permultos tamen eſſe ſenes, non ignoro, qui ea ætate robuſti & validi ſint.

Inuenio ego in hiſce peregrinationibus meis nonnullos ſeptuagenarios, imo nonnullos octuagenarios adhucdum prudenter & laudabiliter reſpublicas regentes & gubernantes.

Recta enim conſultatio haud procedit ab ætate, haud à corporis viribus, ſed à bono iudicio, ſed à laudabili prudentia, ſed ab animi dexte-

ritate, ſana mente & recta ratione, qua quiſque præditus, qua quiſque decoratus eſt: quæ omnia tamen pleraque magis in ſenibus, quam in iuuenibus vigent.

2. Corporis qualitas eſt Formæ dignitas. Secunda corporis qualitas eſt, Formæ dignitas: quod, ſcilicet, conſiliarius mediocris ſtaturę, membrorum omnium iuſta proportione & conuenientia, atque oris decore, elegantia & comitate ornatus eſſe debeat. Corporis ſtatura ea eſto, quæ proceritate & craſſitie media eſt. Extrema vtriuſque, conſiliarj authoritatem lædunt, & diminuunt. Raro procerum ſapientem reperiri, quidam ſcribunt, vti eſt prouerbium: amens longus. De nimia proceritate loquor; nempe ſi nimium longis membris, macro corpore, & collo oblongo eſt.

Breuiſſimæ quoque figuræ & formæ homines haud multum vtiles, quippe qui teſtibus quibuſdam Phyſicis, temeritate & iracundia magis, quam iudicio lati, populo irriſioni ſunt, authoritate carentes. Nec macie, nec craſſitie exuberantes probo, Vix quis riſum cohibet, hominem videns, cupa craſſiorem, aut congrio macilentiorem.

Tales viri ad negotiorum tractationes inepti ſunt, Itaque conſiliarius mediocris ſtaturæ eſto.

eſto. Iuſta quoq; membrorum, vt dixi proportio in cõſiliario requirenda eſt, quæ eſt bona membrorum conuenientia, ita vt omnia & ſingula membra magnitudine & paruitate corpori iuſte reſpondeant; ne brachium alterum altero ſit lõgius, ne alter pes altero pede ſit breuior, manus altera altera latior, humerus alter altero depreſſior. Habeat caput mediocre ac rotundum, haud nimium grande, haud nimium paruum, haud acuminatum; habeat vultum longiorem, quam rotundiorem; nõ triſtem vultum: oculos mediocres & alacres, nec turbidos aut niſtabiles. naſum aut contortũ aut nimis ingens: haud pendula labra: crura recta; inceſſum grauẽ, haud celerem.

Ex facie eluceat comitas, liberalitas, gratioſitas, benignitas. Integræ quoque corporis partes ſunto, non ſit gibboſus, non ſit claudus, aut mutilus, aut luſcus, aut lippus, aut alio morbo & defectu à Natura notatus. Ornamentum hoc corporis in cõſiliario Romanè voco dignitatem. *Venuſtatem*, inquit Tullius, *muliebrem dicere debemus, dignitatẽ virilẽ*. Hæc formę dignitas in conſiliario ideo reqrenda eſt, quia omne id ꝙ aſpectu deforme, id oculis ægre eſt, atq; hominũ animos à ſe alienat. At quicquid pulchrum, idem &

oculis gratum eſt, & tacite in amorem ſui animos allicit, inuitat & rapit.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Hanc ob rationem Theophraſtus *formam* vocauit ἀπάτην σιωπῶσαν, *fraudem ſilentem.* Natura nobis datum eſt, vt, teſte Dione, corpore ſpectabiles diligamus & veneremur propterea quod *pulchritudo corporis reuerendum quid, & admiratione dignũ continere videtur. Barbaris etiam hominibus*, inquit Curtius, *veneratio eſt in corporum maieſtate, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt.* Adijce, quod Natura inſigniter deformes, quib. nimirũ, nulla membrorum iuſta proportio & conuenientia, & corporis partes haud integræ ſunt, vt Phyſici, Aſtrologi & Medici cenſent, vitijs animi, morum & vitæ laborent. Et ſcribitur, Ariſtotelem Prouerbij loco in ore habuiſſe: *cauendos, quos natura notarit.* Huc refero, quod apud Planudem ſcriptum eſt: οἵα ἡ μορφὴ, τοιαδὲ καὶ ἡ ψυχή: *Qualis forma, talis & anima,* Quid ita? quia *corpori conſentit anima, & anima corpus.* Quam plurimos prudentes ſcriptores recenſere poſſem, vno ore aſſeuerantes corporis deformitatem animi & morum deformitatẽ denotare, & in corporum vitiis animi vitia habitare. Tiraquellus id declarat, animi deformitatem,

inquit,

inquit, corporis deformitas, vixque bonos mores habet, cuius deformis eſt facies. Pythagoras quoque exiſtimabat corporum ſtructuram ſimilem eſſe ſtructuræ animorum, & diſtorta membra eſſe effectum, atque adeo teſtimonium animi prauis affectibus, diſtorti: rariſſimeque in forma abiecta generoſam mentem habitare. Idē & Cicero in Cn. Fannio Chærea animaduertit; *Faciem*, inquit, *conſiderate: nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus, vſque ad verticem ſummum (ſi quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite, & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllum pilum boni viri habere dicatur.* Et D. Gregorius Nazianzenus in Iuliano Imperatore propter eius ceruicem inflexam, humeros ſubſultantes, oculos vagos & furioſe intuentes, pedes inſtabiles, nares contractas, contumaciam, & cōtemptum ſpirantes, ſermonem hærentem & ſpiritu conciſum, Romano Imperio magnum malum daturum, ominatus eſt. Nos quotidie videmus & experimur tales vulgo inuiſos eſſe, quapropter gubernationi Reipub. minime ſunt præficiendi. E diuerſo, quibus Natura formæ dignitatem dedit, & ingenium animumque rectum & pulchrū

largita eſt. *Species corporis*, inquit Ambroſius, *ſimulachrum eſt mentis, figuraque probitatis.* Nec fruſtra doctiſſimi viri dixerunt, Naturam ipſam, magnis mentibus digna corporum domicilia metari. In emptione domus non ſolum fundamentũ, muros & veſtibulum inſpicimus, ſed & cellas, ſed & ſtabula, ſed & loca alia, quæ verecunde nominare nequeo. Equum empturi, nunquid in eius pilos, nunquid in eius caudam, crura, inceſſum, curſum dentes oculis intendimus? quanto itaq; magis omnes acceſſuris ad Reip. gubernacula partes conſiderandæ ſunt. Quapropter omnis princeps omnimodo perſpectum habeat eum, quem ſibi amicum eligit, cui fortunas ſuas, cui honorem ſuum, cui vitam & fœlicitatem ſuam committit. Et licet veriſſimum optimumq; hoc, quod ſupra dixi, conſilium ſit, omnia tamẽ cum ratione ſunt intelligenda: *Pulchritudo* enim *nec in omnibus, nec ſemper eſt nota virtutis.* Quibuſdam exemplis doceri poteſt, Naturam aliquos corpore deformes, bonis internis ita dotare, atq; internis dotib. defectus externos ſupplere & compenſare, vt apud Poetam dicitur.

Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Nec obliuioni tradendum, quod de Ageſilao Spar-

Spartanorum rege ſcribitur, quod licet corpore deridiculo, attamen ſapientiſſimus ab omnibus habitus fuerit.

Nec formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes.

Quis erat formoſior Abſolone? Acta aduerſus parentem deformia & deteſtanda erant. Heliogabalus corporis forma ita floruit, vt Romanos milites in ſe conuerterit: Poſtquā vero Imperator Romanus factus eſt, monſtrum humani generis ſeſe exhibuit. Adijce, quod corporis deformitate animus haud fœdetur, ſed pulchritudine animi, teſte Seneca, corpus ornetur. Quare in hac re concludo & dico: ſi Princeps delectum habere poſſit, & ei copia ſit eorum, qui ſimul ſunt & animi & corporis forma pulchri, & eorum qui ſimul ſunt animo pulchri, & corpore deformes, illos, illos potiꝰ, quam iſtos ad conciliū vocet, & ſibi amicos paret: At præ pulchro corpore & pariter animo deformi; deformem corpore, ſed animo & ingenio nec non ſapientia & prudentia conſpicum vocet. Cum hic de dignitate corporis dico, non loquor de muliebri & fucata formoſitate: Quemadmodum n. grata eſt ſpectabilitas & formæ dignitas amabiliſq; & grata, ita ſuſpecta & abominanda eſt muliebris illa fucata, perſonata formioſitas. Sic eſt, in fucata illa muliebri

hebri pulchritudine ſuſpecta & fucata ſunt omnia.

3. Corporis qualitas eſt corporis bona conſtitutio. Tertia corporis qualitas eſt corporis bona conſtitutio, quæ vulgo *complexio*, ſiue *temperamentum* dicitur. Temperamenta alia ita temperata ſunt, vt capacia & excellentia ingenia gignant, alia ita conſtituta, vt ſtupida & inepta reddant: De quibus, tali ſerie ſiloque, ſcribit Furius: *Temperamentorum alia ſunt natura capacia, apta & illuſtria: viciſſim alia ſtupida, inepta & tenebricoſa, & hæc quidem, quantumuis noctu diuque omnem animi contentionem ac diligentiam in corrigenda naturæ temperatione adhibeãt, nihilominus tamen ea inuita Minerua (quod aiunt) tentare videntur: illa & diligentia & arte exigua, quæ volunt, aſſequuntur: & ſi velint maiora præſtare, poſſunt. Quapropter meo iudicio, Conſiliarius aut ſanguineæ vel cholericæ, non alterius ſit conſtitutionis. nam iis temperamentis præditi, ingenij acrimonia, memoria, iudicioque valent, iuſti, affabiles, fideles, benefici, magnifici, magnanimi, fortes, corpore alacres, agiles, ſani & bene temperati ſunt. Tales, ex his quæ iam dicta ſunt, & aliis cognoſci poterunt. Nam cum & res facilis ſit, & Princeps bonorum Medicorum copiam habeat, cum ipſis in electione Conſiliarij de hiſce conferet, ac omni cautione adhibita animaduertet, ne Melancholicum aut Phlegmaticum recipiat. Nam huiuſcemodi natura ſunt inepti ad Reipub. gubernacula, maxime vero ad con-*

ad conſilia danda. Melancholicus etenim, vt natura frigidus & ſiccus eſt; ſic terreſtris conſtitutionis naturam refert, animo abiectiſſimo humi ſerpit, nec ſeſe citra laborem à terra tollit, rudis, triſtis, vanus, præclare cogitatis infeſtus, malitioſus ac ſuperſtitioſus: ita vt hoc temperamento præditus, ſemper religionem ſuis ſtultis ſomniis corruperit, atque euerterit. Adhæc vltra modum ſuſpicioſus & inuidus, ita vt ipſiſſima inuidia eſſe videatur, ſeſe mœrore, triſtitia ac cruciatu conficiens, abſque ratione ad arma vel verborum contumeliam proſilit: quantoque magis ætas aggraueſcit, tanto minus ſcientia creſcit. Demum Melancholici Saturno ſubiecti ſunt: à quo genere hominum Aſtrologi & Philoſophi ita abhorrent, vt memoriæ proditum ſit ab Apollonio Tmyaneo Epheſi melancholicum inuentum, qui totam ciuitatem corruperit, & in ea peſtem maximam excitarit. Poſtremo Phlegmaticus, rudis, ignarus, intempeſtiuus, & inſcius eſt, nec vlla virtus excellens in ipſo inuenitur, ſed omnes infra mediocritatem ſubſiſtunt.

Hucvſque ille. Quæ omnia ego pro certis haud ſtatuerim, nec melancholicos & Phlegmaticos, rerum experientia, eruditione, & virtute præditos haud excluſerim. At ſi mihi electio daretur, ſanguineum præ cholerico, cholericum p̃ Melancholico, Melancholicum præ phlegmatico vocare vellem. Nec diſſuadere volo principi, vt

 con-

conſiliarios diuerſorum temperamentorum vocet, & eos inter ſe temperet, ita vt quoſdam habeat melancholicos, ſcilicet tales, qui in conſilijs ſunt lentiores & cunctantiores, tardius propoſita expendentes: nec non quoſdam cholericos, & ſanguineos qui ſunt feruidiores & promptiores: Phlegmatici non facile admittendi, niſi maturiori ætate exſiccati ſunt. Verbum Hippocratis eſt: *Anima ſicca, anima prudens.*

Pro quarta corporis qualitate adiicitur ſuperioribus indigenatus; At hoc cum limitatione intelligendum.

Ad has, quas dixi, corporis qualitates promantiſſa adnectere demum placet in conſiliario requirendam qualitatem vltimam, nempe vt ſit indigena. Sic eſto, indigenæ potius quam exteri eligendi ſunt, ne ex conſiliariorum diſſimilitudine Reip. maximorum & miſerrimorum naufragiorum ſcintillæ oriantur.

Magna quippe diſſimilitudo eſſe ſolet inter diuerſas nationes; vbi diuerſæ linguæ, diuerſa ingenia, diuerſa ſtudia, diuerſi mores & vita.

Diuerſorum populorum ingenia & animi haud conſentiunt: *Quæ* enim, teſte Cicerone, *natura diuerſa ſunt, difficile eſt, vt voluntate coniungantur.*

Hinc liuor & offenſio, hinc morum animorumque diſcordia, hinc cogitationum, hinc a-

ctionum

ctionum diuerſitas: hinc iurgia & lites, hinc conſpirationes, hinc ciuilia bella, hinc Rerumpublicarum ruina & interitus. Audiamus de hac re ſapientum voces: *Admitte*, ait Syracides, *ad te alienigenam, & ſubuertet te in turbine, & alienabit te à tuis proprijs. Conſiliarij gente diſpares*, inquit Thucidides, *nihil in communem Reipub. ſalutem conſulunt. Sed vel ſuo quique commodo vacant, vel quod agendum pro communi ſalute eſt, abſque matura deliberatione decernunt. Homines peregrini peregrinos ſecum ſermones adſerunt*, ſcribit Plutarchus; *vnde noua de rebus iudicia oriuntur: ex quibus fieri non poteſt: quin affectus multi: conſilia talia naſcantur, quæ plane diuerſa ab instituta Reipub. ratione: quæ eſt inſtar vocum conſonantia, nec diſcrepantiam admittit.*

Quam demum periculoſum ſit, poſthabitis incolis, exteros ad conſilia promouere, ſuperiori ſeculo Guilielmus Siciliæ Rex miſero exemplo teſtatur: quippe in quem inſurrexerunt Neapolitani, atque Sicilienſes, quod non ſolum præcipuos magiſtratus, ſed ipſum etiam Cancellariatus (vt vocant) officium Gallis detuliſſet: atq; ideo, Añō 1168. cōiuratione cōmuni Gallos oēs, qui cum eodem Cancellario erant, in regno derepente trucidarunt. Noſtra quoq; ætate exempla ſunt, quæ, maxima Rerumpublicarum peri-

cula, ob exteros conſiliarios tam politicos, quã eccleſiaſticos, orta eſſe, teſtimonio ſunt.

Et qui hoc præſenti anno, dij boni, qui, inquam, ciuiles motus & inteſtini tumultus in Gallijs excitati ſunt? certe haud aliam ob cauſam, quam quod præcipui conſiliarij in Regis aula ſint exteri. Accedit, quod exteri Iuris publici, morum populi, &, vt verbo dicam, Reipublicę ſint expertes, quare ad conſultandum haud parati aut idonei ſunt, *ad conſilium*, namque, *de Republica dandum, caput eſt*, teſte Tullio, *noſſe Rempub.* Eſt Senatori pernéceſſarium, vt idem Tullius ait, idq; late patet, *quid habeat militum Reſpub. quid valeat ærario, quos ſocios Reſpub. habeat; quos amicos; quos ſtipendiarios; qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere, tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla maiorũ.* Adde, ꝙ alienigenæ conſiliarij pleriq; ſuo commodo vnice ſtudeant, & quod diſſidiorum ſæpe faces præbeant, quippe qui nihil proprium in reipublicę terris poſſidentes, iacturã facere haud timent, ſed potius exortis certaminib. diſcordijs, tumultib. & factionib. honores & diuitias captare & adquirere firmiter ſperant ad quas pacata republica peruenire deſperant. Hinc eſt, quod Ariſtoteles aſſeuerat peregrinos, ſcilicet, & aduenas fructum ciuitatis deuorare, nõ ſec⁹ atq; locuſtæ

ſege-

ſegeti nocere ſolent. Cōſiderandū hic quoq; eſt: Deum mortalium mentibus ſingularem amorē, affectum, ac veluti στοργὴν erga patriam, erga illum locum, inquam, in quo naſcuntur inplantaſſe. *Hic amor*, teſte Keckermanno, *conſiliorum & actionū noſtrarum, quæ pro Repub. fiunt velut dux quidam eſt & regula.*

Hunc ducem, hanc regulam prudens Princeps ĕt in Conſiliario ſpectabit; Nec imitabitur communem illam mortalium intemperiem, qua vt cibos & veſtes, ita quoq; ingenia peregrina tantum amant & admirantur, domeſtica omnia faſtidiunt & aſpernantur.

Sane quando vinculo hoc communi patriæ & morum coniunctus eſt Princeps conſiliariis ſuis, dolor eius quoque erit eorum dolor, lætitia Principis erit æque lætitia conſiliariorum.

Secus autem eſt de iis quos aliunde aſſumit, qui non tam Principem, quam bona ipſius amare ſolent, non ſubditorum ſaluti conſulere, ſed ſubditos exſugere. Tandem poſt partas opes deſiderio patriæ tacti, munere decedunt, antequam ſit oportunum, nec retineri poſſunt, niſi ſtipendiis & poteſtate aucta.

Quod ſi pinguior conditio iis ſeſe offerat, Principe priori deſerto, ad alterum currunt; hunc quoque relicturi, ſi res dubiæ & periculoſæ interueniant, quoniam illis ibi nec ſeritur nec metitur.

Hæc Keckermannus cum Lauterbachio, itidem & ego obſeruauimus. Has ob rationes Perſarum Rex Cyrus iam moriturus filium Principem prudenter monebat, vt ſi quos Regni cõſiliarios (quos regni cuſtodes appellabat) poſt ſuum obitum adſciſceret, nuſquam aliunde inciperet, quam à ſuis conterraneis & ciuibus, quos ſemper alienigenis præferret.

At hæc dicta cum diſtinctione intelligenda ſunt. Oportet quidem principem, qui plures Prouincias & nationes ſub imperio ſuo habet, ex omnibus iſtis nationibus & prouincijs imprimis conſiliarios ſuos legere: Attamen non plane negáuerim, vnum vel alterum, fide & probitate inſigni ornatum & p̃ditum, in alijs exteris ſibi non ſubiectis prouincijs natum, pro temporum & rerum occaſione, in conſiliarium eſſe eligendum. Si Princeps conſiliario aliquo ad negotium eiuſmodi eget, in quo nullus ſuorum ſubditorũ ingenio, ſcientia, & prudentia tantum poteſt, quid ni accerſat conſiliarium peregrinum? circumſpectus Imperator Tiberius exteros aliquos adſumpſit conſiliarios, itidẽ fecit Carolus V. atq; nonnulli alij Principes. Legimus ẽt p̃cipuas aliquas familias conſulares è peregrinis Romæ ortas. At ſi meus Princeps alienigenas conſiliarios eligere velit, paucos tantum aduocet, fideliter ſuaſe-

rim. Annuit & aſtipulatur huic meæ ſententiæ ſapiens Belga: *Effatū hoc habe*, inquiens, *vt in quam domum veſpillones veniunt, ſignum eſt funeris: ſic reipublicæ labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini, Quod tamen ita intellige ſi multi: nam vt vnus aut alter interdum, fide aut ingenio valde cognito, haud pertinaciter damnem.* Hæc proloquutus cum eſſem, nō tenuit diutius linguam Princeps, ſed benigno vultu, & clementi voce ad me: Floride ac vere de hac vltima, inqens, qualitate dixiſti. Non ſunt exteri adſciſcendi ad conſilia, & ſi tales eligere Principi placuerit, prudenter aget, ſi paucos. Hoc ego in multis & quaſi in omnib. magnis Principib. & Regib. obſeruaui, quod ſemper vnum cōſiliariū ad latus habeant alienigenam: en tibi oēs magnorū Principum aulas, eas cogitationum ala peruola, & quod dico, verum eſſe dixeris: vnum, inquam, conſiliarium exterum habent, cui præ indigenis totum cor ſuum libere & vnice aperiant, cui vnice omnes ſecretiſſimas cogitationes, intimam mentem & clandeſtina conſilia communicent; quemq; tanq̃ propriū cor vnice ament. Atque huic magis fidunt, qa indigenæ & Principē & rempublicam in qua nati & educati, in qua ſua bona & adnatos habent, amant, nec non talia conſilia Principi dant, quæ & ipſi Principi, & rei-

Quare plerique principes vnum alienigenam conſiliarium habeant, cuius conſilia præ reliquis ſequuntur, & cui ſe vnice aperiant.

& reipub. prodeſſe putant; E conuerſo alienigena, quia in eadem republica nil poſſidens ſolum Principem amat, haud multũ rempublicã, ſed ſolum Principis commodum & vtilitatem, ſpreta ea, quæ reipublicæ eſt, cogitat & curat, atq; vnice talia Principi ſuggerit conſilia, quæ neglecta Reip. vtilitate ſoli Principi ꝓficere exiſtimat. Ego arriſi, atq; hæc cauſa eſt, inquã, ob q̃ talem alienigenam conſiliariũ præ cœteris omnib. Prĩcipes amãt, magnifaciant, & exaltent: Talis ꝑ iſtis principibus charus & gratus eſſe ſoleat: His adijce conſiliarios extraordinarios illos, quos Germani vulgo vocamus: Råhte von hauſe auß. Qui ſunt conſiliarij extra Rempub. ſiue Regnum, quibus in exteris nationibus habitantib. ob certas cauſas in certis quibuſdam rebus ad dandum conſilium Principes vtiliter vtuntur. Hi liberrimo ore hi apertiſſimo pectore animĩ ſentẽtiam, cœteros conſiliarios haud videntes, haud reſpicientes, eloquuntur ſiue in chartam ſcribunt, & principibus mittunt. Hi tunc temporis à principibus maxime vſurpandi, quando ordinarij videntur ſuſpecti. Iſta arridens eloquebar. Deinde, hæc ſunt, aio, quæ mihi de conſiliariorum præcipuis qualitatibus, in mentem dicere venerunt; Nunc ſi tibi, princeps celſiſſime, placuerit, ad cœtera

De conſiliariis extraordinariis, qui vulgo vocantur: Råhte von hauß auß.

tera noſtræ ſermocinationis capita pergemus, & de cōſiliarij Electione orationis noſtræ filū contexemus. Quid ni placeat, inq̄t Princeps. Diſcurſus ſiue diſſertationis tuæ cœteras partes conbibere magno æſtu deſidero.

De conſiliariu ſermo muliebri ſonitu interrumpitur: & colloquētes ad cœnā inuitantur.

Adhuc loquebatur Princeps, cum ſonitu ſtrepuerunt fores, atq; in caſulam muliebre inſonuit murmur, atq; ecce Principis cōiux vna cū aliquibus virginibus pediſſequis ſuis in caſulam recta ad nos gradu ſatis compoſito introit, de hora cœnæ blande admonens, ad quam & maritum & me inuitat. Princeps velut experrectus, hem, inquit, ita dies ſub fabulatione clam elapſus' putabam nos horulam hic ſediſſe, & medium diem ſermonibus noſtris, vt video, truſimus. O veriſſimum & optimum vitæ condimentum, Bona conuerſatio! Poſt hæc ſurrexit, dextram manum vxoris baſians; Deinde vxoris ſiniſtram ſua dextra, & meam dextram ſua ſiniſtra prændit, & eamus, inquit, Eluere, eamus, atq; reliquas noſtræ ſermocinationis partes in craſtinum reijcientes, vti prolapſis horis pabulum animo, nunc victū corpori adhibeamus. Iuimus, ſuauiſſimos cibos iucunde comedimus, varijs de reb. ſæpe in riſum diffuſi, garriuimus; & finita tandē cœna in ſtratis lectis diſcumbētes, in ſomnū labimur. Sequenti

porro die, debita ſalutatione præmiſſa, iterum me princeps in amænum hortum ducit: cum ibi ad mediam vſq; horam matutinam verſicoloribus floſculis, pulcherrimiſq; plantis aliis ornatas ariolas, ſylueſtres rubis, dumis & ſentib. compoſitas ſepes, nec non viridantes pergulas, atq; frugiferas arbores ad delicias contemplati eſſemus, tandem nos in arborib. conſitum & gramine nitidiſſime indutum monticulũ recepimus. Tunc hic amęniſſimus & lętiſsim⁹ ſeceſſus, ait princeps, ad reliquũ reſtantẽ ſermonẽ, de conſiliarijs & cõſilijs, quem vxor heri inuitis abrumpebat, continuandum, miſcendũ & finiendum percõmodus erit. Hinc late patens nauigium Mare vna cum ſinuoſis littoribus ſuis conſpicimus; hinc labans & properans flumen in mare ſeſe exonerans ſpectamus; hinc tranquillum & ſegnẽ lacum, quæ eſt colluuies ſcaturiginum arundinibus aliquib. in locis repertum, in qua feras anates, anſeres, & innumeras alias aues intuemur. En tibi ſcaturiẽtes aquulas & nonnullos q̃rulos riuulos obmurmurantes; En per compoſitas arbores vagantes auiculas, aures noſtras canora ſuauitate demulcentes; en tibi p̃ter hæc à ſiniſtra tua glandinariã ſudantem ſyluam, à terga ſplendidis domib. ſuperbam & diuitibus ciuibus populoſam. Sedeamus,

mus hic, mi Eluere, ſedeam°, & de ꝓpoſita re garriamús. Hæc dixerat Princeps, & ambob. in floſculis picto gramine coniectis, immo tuo, princeps illuſtriſſime, tuo ſapientiſſimo cõſilio parebo, inquam, hoc ſuadet tua celſa authoritas, huc inuitat loci mira amænitas: ô iucundiſſimum, in aprica littora in frondifluam ſyluã, cœteraſq; magnæ noſtræ matris varias lætaſq; partes proſpectũ! Singulę res iſtę ſunt ornatiſſimę & viſui iucũdiſſimæ; quæ omnia etiam renitentem ad conſidendum allicerent, reluctantem ad ſpectandum traherent, & renuentẽ ad confabulandũ incitarent. Accedit, quod leuiores nubeculæ ſolem temperent, ac laſciuiens ventus mediocri ſuſurro extermis alis ſedentes afflet.

Hic ſermonis pauſam aliquam faciens, dein Principem aſpiciens, tandem alacrius erupi: &, nunc filũ illud heſterni ſermonis à coniuge tua abruptum pertexere, inq̃, & longius perducere cupiens, de conſiliarij electione dicã, & quomodo Princeps cõſiliarium eligere volẽs ſeſe gerere & q̃ circa electionẽ obſeruare debeat, paucis adumbrabo. Hæc dixerã, at princeps exclamans, &, ô Doctrinam notatu & cognitu neceſſariam & dignam, inquit, quippe dignã, vt quotidie eã omnis Princeps ante oculos habeat, cum ex conſi-

Continuatur de conſiliariis diſſertatio, & de quibuſdam regulis in conſiliarij electione obſeruandis agitur.

ſtariorum electione principis honos, principis fama & infamia, principis Reique publicæ ſalus & ruina pendeat! Tu perge, perge oratione tua; ego auſcultabo & audita in cor demittam; attendam, & in ea intendam; ſanam de hac re ſententiam non ſolum aſpicere, ſed & inſpicere deſidero; non ſolum capere, ſed & percipere geſtio; non ſolum amare, ſed & curioſe curare & obſeruare promitto. Perge mi Eluere, perge. Quod fons venatoribus in magno æſtu, id mihi tuus ſermo; qui recreat, qui deſiderij mei febrim temperat & refrigerat. Ad hanc principis blandiorem, dicam an benigniorem inuitationem, pergam, aiebam, ſereniſſime princeps, libenter pergam: At tu, ea, quæ dicam, æqua iudicij lance pende; quæ probaueris collige, ſerua, vtere; quæ non probaueris puta, runca, abijce.

1. Regula in conſiliarii electione obſeruanda eſt, ne in electione princeps nimius ſit præceps.

Prima regula, quam omnis Princeps, in conſiliarij electione obſeruare debeat, hæc eſto: Ne in electione nimis præceps ſit. Cunctationem adhibeat, vt in candidati mores, virtutes, eruditionem, prudentiam, in mores inquam & vitam bene inquirere poſſit. Nonnunquam & ipſe princeps cum eo conuerſetur, & ſæpe aliquem ſuorú intimorum conſiliariorum cum eo conuerſari & con-

confabulari iubeat. Inde quoque, vbi aliquod tempus vixit, eius vitæ teſtimonium petat Princeps: Et ſi ante officium quoddam geſſit, quomodo illi præfuit, exquirat. Hac ratione candidati qualitates vere cognoſcet: morum integritate conſpicuum, nullo vitiorum dehoneſtamẽto conſpurcatum, ſplendidis virtutum ornamentis decoratum, & prænitentis prudentiæ ac ſapientiæ venerandum hominem in amicitiam vocabit; illaudatis, & peruerſis moribus inquinatum, & ſceleribus flagitijſque contaminatum vitabit. Sic eſt, Princeps Auguſtiſſime, cunctationem adhibeat omnis Princeps, nec temere & præcipitanter conſiliarium legat, ſed Romanum ſapientem ita monentem audiat: *Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit, cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam iudicandum.* Magno itaque iudicio, in ea, quæ narraui, inquirendum eſt, an ſcilicet vitijs contaminatus, an virtutibus decoratus ſit. Requiro namque in meis conſiliarijs vltra doctrinam, & rerum experientiam, etiam proborum morum bonæque vitæ elegantiam: Vt etiam exemplo populo vtiles eſſe poſſint. *Qui* enim *vitiis ſcatet, fieri non poteſt*, teſte Gellio, *vt vitiis non faueat, ne illa iu-*

dicando ſeipſum condemnare videatur, neque ambitioſius cōſulit, niſi ad honores conſequendos. Theſaurarii & populi Harpyiæ, nihil ſuauius habent in conſiliis quam ſuperactiones, tributa noua imponere, & modos ſubtiles extorquendi, proponunt enim ſibi lucrum, ex tractatione pecuniarum, parum ad lacrymas & onera ſubditorum attendentes. Audi Prophetam Dauid: *Oculi mei,* inquit, *attendent ad veraces terræ, vt conſideant mecum: ambulans via integra, is mihi miniſtrabit.* imitetur Regem Pharaonem Princeps ſapiens: Dixit ille ſeruis ſuis: *An inuenire poſſumus huic* (de Ioſepho inquiens) *parem virum, in quo ſpiritus Dei ſit?* Deinde Pharao Ioſepho dixit, *quandoquidem nota fecit Deus tibi omnia hæc, nemo eſt prudens & ſapiens ſicut tu: Tu praeris domi meæ.* Omnis conſilii loco inſcriptum ſit, quod in Rom. legibus de magiſtratu erat. *Hic ordo vitiis careto: cæteris ſpecimen eſto. Peruertit* enim *intellectum,* vt Ariſtoteles docet, *malitia,* nec niſi à viro bono bona proficiſci poſſunt. *Nec fieri poteſt,* ait Xenophon, *vt ſi magiſtratus ipſe officium non faciat: ad præclara & honeſta agenda alios excitet. Haud alios continebit,* Tullio monente, *qui ſe non continet.* Neq; commode puniet illa flagitia, quibus ſe quoque eſſe affinem nouit. Oculum vitio aliquo laborantem perperam cernere videmus; & male conſu-

lere

lere mentem malam. Quare non immerito elatiore voce in conſiliariis meis hic requiro, quod Plato in Principe & Magiſtratu legendo ſpectare iubet: non, vt Gordij, corporis molem & obeſitatem: non, vt Medi, robur: non, vt Libij, celeritatem: non, vt Indi, formæ pulchritudinem ac venuſtatem: ſed virtutem, & quidem multis iam annis exploratam ac probatam.

Secunda regula eſt, vt Princeps exquirat, an omnibus illis ſupradictis qualitatibus & notis, quas viginti & vnam animi, & quatuor corporis ſupra recitaui, candidatus ornatus, decoratus & præditus ſit. Iis expers, inhabilis eſt, hunc linquat Princeps; iis præcellens, aptus eſt, hunc eligat Princeps: Atque ſecundum quod earum vel plures vel pauciores in quempiam cadunt, de eiuſdem vel dignitate, vel indignitate ſtatuat.

2. Regula in conſiliarii electione obſeruãda eſt, vt princeps inquirat, an omnibus ſupradictis animi & corporis qualitatibus ornatus ſit, & quid agere debeat princeps ſi candidatus aliquibus qualitatibus tantũ decoratus ſit.

Vix namque accidet, vt iſtiusmodi conſiliarius illis, quas enumeraui qualitatibus omnibus florens inueniatur.

Quapropter ſupradixi, & hic repeto: ſecundum q; vel plures, vel pauciores illarum qualitatum in candidatũ cadunt, de eiuſdẽ vel dignitate vel indignitate, ſtatuat Princeps. Vt ecce, q decẽ animi qualitatib⁹ conſpicuus eſt, præferendus &

eli-

eligendus eſt præ eo, qui tribus ſaltem notis inſignitus eſt. Si Princeps tales viros, qui illis ſupradictis qualitatibus ſiue omnibus, ſiue aliquibus instructi & ornati haud ſunt, adipiſci non poterit, pro rerum varietate, varios ſingulis qualitatibus præditos, (*vnuſquiſque* enim *in ſua arte ſapiens eſt*) aſſumat; vt ecce iuriſperitos ad iuris quæſtiones enucleandas; oratores & politicos ad legationum aliaq; politica munera obeunda. Theologos ad ſacra & religionem ſpectantia. Neque reſpicienda ſunt in candidato merita, potentia, opulentia, ſiue familia, cum honores præcipue conſiliariatus ratione virtutis tribuendi ſint. Verum harũ ratio quædam haberi poteſt, nimirum vt opulentioribus & generoſioribus conſiliariatus præ pauperibus & humili loco natis conferatur, cum ſcilicet virtus vtrinque par eſt. Huc referre placet, quod in ſuo conſiliario Furius ſcribit: *Non poſſum*, inquit, *non meminiſſe, quod ante aliquot menſes, cum de electione vnguentarij Regis Hiſpaniarum ageretur, rem eo deductam viderim, vt is ex pluribus competitorib. reciperetur, qui meliora pharmaca, & plurima eorum genera conficere poſſet. Similiter cum Anno quinquageſimo primo, pace in Gallijs rupta, mihi colloquium cum Ludouico Burbonio pontifice, de diplomate ſecuritatis eſſet, ac de canibus venatorijs tractaretur: ipſum*

dicere

dicere memini, ſe prius de ipſorum bonitate periculum factur͡um: & illa deprehenſa, ſe de ipſorum emptione cogitaturum. Id pingui Minerua (quod aiunt) ad propoſitum in quo verſamur, traductum ſit: quod cum vnguentarij non eligantur niſi ipſorum peritia probata: nec minus venatorij canes: quanto magis conueniet iuſtâ trutinâ expendi qualitates eorum, qui Conſiliarij ſunt eligendi. Huc vſq; ille idem authorem eodem loco ſic ſcribentem prolixius auſcultemus: *Et prodibunt,* inquit, *dicturi, eiuſmodi conſiliarios, quales ego deſcripſi, toto terrarum orbe non inueniri. His hoc reſponſum do: Fore vt, ſi Principes virtutis ac meritorum rationem, non gratiæ, vel potentiæ, in eligendis conſiliariis ſequantur, multi, iiq; præſtantes atq; idonei, variis in locis deprehendantur, & dato, quod non ſint: Princeps, ſi tales velit, (vt velle debet) facillime etiam ex ſaxis tales faciet. Nam cum Princeps poeſi delectatur, omnes poemata condunt: cum Muſicæ eſt deditus, Muſicam colunt: ſi bellator ſit, nemo non arma tractat ſi dicaces amet, omnes argutiis ſtudent: ſi Aſtrologia delectetur, de ſphæra & inſtrumentis cæleſtibus quoslibet diſſertantes audies. Quod ſi conſiliarios, quales deſcripſi, beneuolentia complectatur: de capite meo ſponſionem facere auſim, omnes ferme Barones ac Equites intra paucorum annorum ſpacium præſtantiſſimos Conſiliarios fore. Sequatur Princeps propoſita à me præcepta, & repente Aulam cum tota Nobilitate immutari: tempus alioqui*

turpi atque ignauo ocio, luſibus inhoneſtis, alea, ſcortationibus ac aliis vitiis conſumptum, virtutibus ac artibus vtilibus impendi videbit: atque ex Aula, ſcholam virtutis & ſapientiæ fieri.

3. Regula in Electione conſiliary obſeruanda eſt, ne conſiliarios tantum ex iis eligat, quos in aula princeps ſuſtentat

Tertia regula eſto, ne Princeps conſiliarios ſolummodo eligat ex iis, quos in Aula ſuſtentat & fouet, quacunque eruditione & experientia, quacunque excellentia & prudentia præditi ſint. ſed ex præſulibus & ſuarum prouinciarum gubernatoribus, ciuitatumque rectoribus, curioſe quærat de prudentia præſtantiſſimis, de ſpectabili ſapientia conſpicuis, de multiiuga virtute excellentiſſimis viris. Quippe ex pluribus bonis viris facilius excellentiores eligi poſſunt, quam ex paucioribus. Non grande, ſed exiguum eſt, quod ex paucis eſt. Cœteros hoc modo cognoſcet Princeps, & quibus dotibus ornati ſint percipiet, quos in aliis atque aliis negotiis vſurpare poteſt: quorum virtutes laudet Princeps, ad excellentiora ſtimulos addat & bona ſpe impleat.

4 Regula in electione conſiliarij obſeruanda eſt, vt princeps ex omnibus & ſingulis ſuis prouinciis conſi. rios itet.

Quarta porro Regula eſt, vt magnus Princeps ſub ſuo imperio multas prouincias habens, non ex vna tantummodo prouincia conſiliarios ſuos, ſed ex omnibus & ſingulis eligat. Si ſubditos ſuos in pace & tranquillitate regere Principi charum eſt, hanc Regulam probe obſeruet & ſequatur,

quatur, neceſſum eſt. Non dicere poſſum, quî peccet Princeps contrarium agens. Cœteræ enim prouinciæ, ex quib⁹ nulli ad conſilia vocantur, quaſi nullo in numero, ſed vili precio à Principe habitæ, & quaſi maxima iniuria affectæ ſeruitutis iugum faſtidientes ingenti indignatione ſtomachantur, principem odio habent, libertatem quærunt, & cum peregrinis Principibus contra legitimum & natiuum principem coniurant & conſpirant.

Nec rationem habet Princeps, quare ex omnibus & ſingulis Prouinciis conſiliarios haud legat, aut aliam præ alia prætereat: quippe quælibet gens, quælibet prouincia virtute præditos, & vitiis conſpurcatos habet incolas, bonos & malos, doctos & indoctos, ſapientes & ſtultos, argutos & hebetes, fideles & infideles, ad res bene peragendas aptos & ineptos. Concilium ad totius Regni Prouincias regendas deſtinatum & deſignatum eſt, quapropter ex omnibus Prouinciis & nationibus principi ſubiectis iſtud etiam conſtituendum eſt. Princeps totius & vniuerſi populi omniumque ſubditorum pater audit, caueat itaque Princeps, ne ſe facile huic vel illi Prouinciæ exhibeat vitricum, dicam, tyrannum. Huic quartæ REGVLÆ etiam hanc

admonitionem adnectere conueniens eſſet; Ne ſcilicet Princeps ad conſilium exteros præ indigenis vocet; ne ex morum, animorum & voluntatum diſſimilitudine & diuerſitate; neue ex conſiliariis Remp. ignorantibus, neq; facile eam ſincero affectu, ſed potius proprium commodũ amantibus & ſpectantibus, grauiſſimorum malorum, ſeditionum, turbarum ciuilium, & tandem totius Reipublicæ ruinæ ſcintillæ oriantur; ſed quia ſupra in vltima corporis qualitate, q̃ in conſiliario requirimus, hanc admonitionem tetigimus, eandem hic ſilentii velo contegemus atque inuoluemus.

5. Regula in electione conſiliarii obſeruanda eſt, vt princeps non ſolũmodo ex nobilibus & diuitibus, ſed etiam aliquos ex plebeiis & pauperibus eligat conſiliarios.

Hic quoque pro quinta regula non tacendum: vt non tantum ex nobilibus, generoſis & diuitibus, ſed etiam ex ignobilibus, plebeis & pauperibus conſiliarios eligat Princeps. Optima eſt Reſpublica & feliciſſima, teſte Plutarcho, in qua magiſtratus omnia ſua refert ad ſalutem Reipublicæ, nec aſpernatur quenquam qui reipublicæ prodeſſe poſſit. Tyranni eſt, denegãre & claudere quicquam virtuti.

Stulti requirunt, è quibus natus ſit is, cui dignitas datur, at ſapiens quærit, q̃s ſit. Venator & eques de equo & cane inquirunt, haud vero de illis

illis, ex quibus prognati. Neque tam homines quam hominum actiones cõſiderandæ ſunt: atque ei, teſte Ariſtotele, plurimum tribuendum, cuius in animo virtus ineſt. Vbi omnis ordinis & conditionis homines ad dignitates promouentur, virtutis ſtudium & diligentiæ excitari videmus. Hic nobili loco nati, quaſi laudis & gloriæ cupidi, Gloriam & laudem à maioribus partam augere non imminuere ſtudebunt; ex humili vero & obſcuro loco nati, quod maioribus ſuis defecerit, acquirere, ſumme curabunt. Hoc in Iphicrate videre eſt, qui patre ſutore natus; hic, cum generis ei ab Harmodio obſcuritas obijceretur, *meum*, reſpondit, *à meipſo genus initium ſumit: tuum autem in te deſinit.* Neq; pauperes â concilijs prorſus excludendi ſunt. Verum eſt, quod Pauperes magis pretijs & affectib. circumagitentur. Morbum magnum paupertatem Plutarchus dixit. Et Simanca Animal periculoſiſſimum appellat Regem pauperem. Eo egeſtas impellit, teſtante ſacra ſcriptura, vt muneribus capiantur, *quæ ſapientum oculos excæcant: verba iuſtorum ſubuertunt.* Hinc eſt, quod apud Romanos cenſus in ſenatore ac magiſtratu laudatus fuerit: ne ſplendor ordinis ampliſſimi rei familiaris anguſtijs obſcuraretur. Ante Auguſtũ cenſus Senatorius, teſte Sigonio,

fuit ſeſtertium octingenta millia, qui auctus poſtea fuit. At licet quorundã pauperum exempla adferri poſſent, qui officio ſuo male vſi fuiſſent; nihilominus tamen pauperes à conciliis prorſus non eſſe excludendos dico, repeto, & ſtatuo.

Legimus enim, quam plurimos pauperes virtute, eruditione & prudentia præſtantes homines conſilijs ſuis Reipublicæ tam domi, quam militiæ vtiliſſimos & ſalutares fuiſſe: Siquidem per ſe paupertas turpis non ſit, niſi ſit, monente Plutarcho, indicium ſocordiæ, intemperantiæ, prodigalitatis: viro temperanti, laborioſo, iuſto, forti, & qui omnibus virtutibus præditus in publico verſatur, paupertas magni animi teſtimonium præbet: cum non poſſit magnas res gerere qui paruas curat. Paupertas alias mater eſt induſtriæ: experiri multa homines docet: imo omnes artes perdocet. Neq; quicquã abſurdius ac perniciosius eſt, quam dignitatem quęſtu, ordinem pretijs metiri: cum ſæpe aut furtis & rapinis, aut caſu quodam fortunæ dentur & eripiantur. Neque ars, aſſeuerante Philoſopho, ſordida, ſed mens: non facultas, ſed virtus: non adiumenta fortunæ, ſed ornamenta animi in electione ſpectanda. Hiſtorici teſtantur, ſæpe reges, nationes, ciuitates, poteſtates & reſpublicas per opulentiã, diui-

diuitias & potentiam imperia miſere amiſiſſe, quæ per virtutem, quæ per vigilantiám & prudentiá inopes & pauperes fœliciter cœperunt.

Vidimus quoque & experimur quotidiana experientia, quod vbi multæ diuitię ſint, ſæpe parum virtutis ibidem reperiri; Virtutes â vitijs, & blandiſſimis dominis, voluptatibus, extingui; animos ab arduis & veris ad voluptates & delitias deficere: Vera gloria induſtria alitur; iſta dempta abominabilis, amara & vitabilis eſt. Induſtriam, laborem, ſobrietatē, vigilantiam, inopia & paupertas plerumq; pariunt; negligentiam, deſidiam, ſocordiam, intemperantiam, diuitię & opes: illæ humilitatis, hæ inſolentiæ & ſuperbiæ genitores ſunt. Has ob rationes Plato, operá eſſe dandam, monet, vt qui vtiliter ac decenter Magiſtratu fungi debent, ſint diuites bonis animi; & iuſtitiæ, ſapientiæ, pietatis auro abundent. Et queritur Plinius, quod Cenſus Magiſtratus, ac equites faciat: cum ſit ſanctius & vtilius inquirere nō qualē matrimonium habeat Magiſtratus, ſed cuius exiſtimationis ſit, & quomodo ante actam vitam tranſegerit. Exempla q̃ plurima quoq; teſtātur nō ſolūmodo cōſiliarios excellētiſſimos, ſed & Reges, ſed & Imperatores pſtantes è plebe & pauperib. eſſe factos. Eliganturitaq; cōſiliarij

ex o-

ex omni ſubditorum genere & ordine; viri literis, virtute & experientia eximij, ne pręiudicium habeat vnus ordo præ alijs. Sic, ſic Princeps ſubditos facilius & fœlicius in officio, in amore & concordia retinebit; quippe tũ contemplantur Principem de omnium honore cogitare; E contrario aliquot ordines aduertentes ſe negligi & contemni, nec quenquam ſuorum ad conſilia vocari, ſtomachantur, & ſæpe periculoſiſſimos tumultus contra principem excitant. Præcaueat itaque meus Princeps hoc malum, ne ſcilicet maior populi pars factiones & conſpirationes agitet.

6. Regula in conſiliarij electione obſeruanda eſt, vt & laudes & accuſationes de candidato latas princeps lubenter audiat & examinet.

Sexta regula eſt, vt Princeps accuſationes ſiue contra candidatum inquiſitiones, necnon de eo encomia & laudes libenter audiat, nec audiat ſolum, ſed etiam eaſdem examinet, & diligenti trutina ponderet, neque prima fronte fidẽ adhibeat; tũ quia maligni delatores, falſi accuſatores, falſi culpatores; tum quia falſi laudatores eſſe ſolent: illi, vt Principem ab eligendo candidato dehortentur; iſti, vt ad eligendum adhortẽtur, vel quia iſti ſuum Amicum, vel ſuum cõſanguineum, vel liberalem (vt ſic loquar) dantem & remunerantem obtrudere & efferre volunt; vel quia illi bonum candidatum, ne amico ſuo, conſanguineo, vel remuneranti locũ præoccupet, detru-

detrudere conantur & allaborant. Adde, quod & dehortatores & adhortatores ſæpe viri inuidi, virique tales (licet & ipſi conſiliarij) ſint, qui ideo candidatum in crimen vocant, quia eum acri & alacri, vegeto & fœliciſſimo ingenio, multiplici eruditione & peregrinationibus adornatum vident, olim fore putantes, vt à Principe experta aliquando virtute eius, præ ipſis dehortatoribus efferatur. Imo ipſe ego hiſce meis oculis vidi, hiſce meis auribus audiui, quod cuiuſdam magni Principis duo conſiliarij à recipiendo egregio candidato geſtibus vocibuſq; Principem dehortarentur, nullam certe aliam ob cauſam, q̃ quod illi conſiliarij Ius Ciuile, & linguam latinam non ad loquendum, ſed ad intelligendum tantum, didicerant. Candidatus vero non ſolum in Iure Ciuili, ſed & Latine, Græce, Italice & Gallice; politice inſuper, hiſtorice & Philoſophice doctiſsimus, varijſq; peregrinationibus verſatus fuerat. Taceo cæteras artes præclaras, vt ſunt equeſtres & alias. Nullam, repeto, ob aliam cauſam ab hoc candidato Principem dehortabantur, quam quod plus ipſis didicerat, atque per eum authoritati ſuæ derogatum iri timentes, ex hebeti; ſtupido & frigido ſuo ingenio de candidati alacri, acuto & feruido ingenio

 male

male iudicabant. Ita, ita eſt Princeps præ:extam rationem ſuæ perſuaſionis hanc mopſi illi attulerunt, aſſeuerantes, impoſſibile eſſe, vnum ingenium tam multarum diſciplinarum & ſcientiarum capax eſſe.

Poſſibile quidem eſſe, vt bonum ingenium de quibuſdam ſingulis ſcientijs aliquid compræhenderet, de toto vero (vt aiebant) nihil: Vnam ſcientiam totum hominem requirere. Et licet ego pro candidato aliquot rationes producerem, reclamarunt tamen illi vno ore dicentes; ſingulis iſtis in rebus candidatum ſine ope ſpiritus (vt vocabant) familiaris haud excellere poſſe; Atque à tali homine cauendum Principem admonuerunt. Quæſiuerunt inſuper & inquiſiuerunt, an guttam (vt ſic dicam) prauæ qualitatis in candidato reperirent, cũ eo fallaciter, doloſe & fraudulenter conuerſantes, cum eo aſtute, malitioſe & callide colloquentes.

Inuenta tandem & obſeruata qualitatis guttula aliqua, quam reprehendere poſſent, ex ea oceanum facientes, & candidatum apud Principem malitioſe traducebant, inuidioſe criminabantur & indigne obtrectabant; ita vt Princeps candidatum publicarum rerum adminiſtrationi per ſapientiam, ſcientias & prudentiam ſuam accom-

accommodatiſſimum linqueret, & detrectatorum agnatum aliquẽ rerum agendarũ, conſiliorumq; ſuggerendorum rudem & ineptum eligeret. O angues, viperæ, aſpides & iaculi! ô buffones, dracones, araneæ! ô Ophiogenes & Pſylli, venena tantum exſugere nati, venena tantum ſpargere apti! Iſtos fugiant Principes, fugiant, aula exijciant, præ ipſorum ſpiculis ſinum tegant & frontem auertant.

Egregij iudices! ô amphisbenæ, cæciliæ, egregij, inquã, iudices eſtis! ô blenni, fatui, fungi! qui ex curtis, obtuſis & plumbeis ingenijs veſtris, alacria, agilia & ignea ingenia obduncis naſibus, obtortis oculis, inuidioſis exulceratiſque frontibus iudicare animum induiſtis! Excellentia ingenia ea non præſtare dicitis, quæ vos præſtare iam dudum deſperaſtis: Dei benignitati & virtuti contradicitis.

De eadem hac quinta regula, vti attexo, Furiũ ſcribere, memini: *Princeps attente & beneuole accuſationes & inquiſitiones*, inquit, *contra candidatum prolatas audiat: Iiſque non, niſi trutina diligentiore ponderatis, fidem adhibeat.* Nam ſi ſint delationes infamiã inferentes, cogitet & veras & falſas eſſe poſſe: ſimulque eſſe homines malignos, inuidos, ignorantes, ac alijs affectionibus obnoxios, qui candida-

didatum in falſum crimen vocent: nec fallatur autoritate deferentium, hanc vocem vſurpans: Id mihi illuſtris Dux, reuerendus Epiſcopus, doctus Antiſtes, ſanctus Monachus, vel talis, vel talis retulit. Nam ſæpe, quod non credis, latet anguis in herba. Quo ſignificatum volo, omnes nos eſſe homines, & decipi atq; errare poſſe: quare haud ſtatim omnib. fidem adhibendam: ſed id, re exigente, iuſtæ inquiſitioni, atque iudicio committendum. Si viciſſim inquiſitio candidato fauerit, teſtificans eũ tali muneri aptum: ei nec penitus fidem tribuat, nec omnino deroget: Sed id excuſſioni relinquat atque committat. Nec Principem dicere volo: Talis Pontifex, Marchio, Eques vel ſacerdos, hoc mihi ſignificauit: quia omnes homines ſumus, qui & alios decipere, & ab ipſis decipi ſolemus.

Pro certo autem ſtatuat Princeps, eiuſmodi relationes, ſiue bonæ ſiue malæ ſunt à ſtudio proprij commodi proficiſci: quod licet clare conſpiciatur, tamẽ ei prætextus officij haud dubie obducitur atq; ꝓtenditur. Et reuera pillularũ auro illitarũ inſtar ſunt, q̃ amaritudinem, quam in ſe cõtinent, minime cõmonſtrant: ſed in interiore ſui parte occultant. Nunquam prudentię datũ eſt id credere, ꝙ experientia cõprobari poteſt. Quare

Prin-

Princeps in hoc diuum Thomam imitetur: nec plus credat quam oculis viderit, & manibus contrectauerit.

Septima demum Regula, à Principe in conſiliarii electione obſeruanda hæc eſt, vt princeps electum conſiliarium in concilium introducat, in eoq; illi ſeſſionem det, & cœteris conſiliariis, præcipuiſque miniſtris aulicis dicat, cum virtutis, eruditionis, experientiæ & prudentiæ ergo in numerum conſiliariorum receptum, atq; vt pro tali eum cœteri conſiliarii & miniſtri aulici, totuſque populus habeant & recognoſcant, Princeps iubeat. Deinde, in conſilium introducto conſiliario, honorem, dignitatem, commodum & ſalutem Reipublicæ commẽdet. Tandem iurisiurandi religione eum obſtringat. Poſtremo neglecti officii ſui & pœnas æternas & pœnas temporales minetur; fideliter & probe obſeruati officii certiſſimam â Deoque ſeque remunerationem viciſſim polliceatur. His obſeruatis, populus de ſua ſalute & vtilitate ſollicitum Principem videns, eundem & laudabit, & amabit, eidemq; lubens obtemperabit. His â me dictis, remiſſiori voce ad principem: hæc ſunt, aio, quæ de regulis in eligendis conſiliariis, â Principe obſeruandis, dicere mihi in mentem linguamq; venerunt.

7. Regula in conſiliarij electione obſeruanda eſt, vt princeps conſiliarium electum in concilium introducat: & quid vlterius ibi agendũ, &c.

nerunt. Nec miraberis, quod nudas de hac re cogitationes meas liberrime & confidentiſſime in ſinum tuum effuderim: Scio, quod in tuum apertum, ſyncerum & candidum pectus, ex aperto, ſyncero & candido pectore per veritatis canalem, profluxerint. Nunc ſermonis noſtri curſum ad ipſum conſilium ſiue conſultationem, eiuſdemq; verum finem flectemus.

Saniens tempeſtas hanc de conſiliariis orationem abrumpit, quæ breuiter deſcribitur, & de omnium rerũ inſtabilitate datur occaſio philoſophandi.

Inter hæc verba, dum ſcilicet hæc eloquebar, & labia ad cœteram orationis meæ partem prompta habebam, furentes frementeſq; venti exoriebantur; fragoſa tempeſtas ſæuiebat: Inhorruit mare; ſpumoſi pelagi mugitus audiebantur; cœlum cõtremiſcebat tonitru, obſcurarum nubium conflictu fulgur exprimebatur, & tonitru fulmen minabatur.

E valle ſpectabamus in æquoreis voliuolis miſereque iactatis nauibus nautas ad officia trepide diſcurrentes & vela tempeſtati ſubducentes, nec non gubernatores, quo curſum deſtinarent, ambigentes. Tandem vmbriferæ atræque nubes diem obruebant tenebris, & tam ſpiſſæ tenebræ lucem ita ſupprimebãt, vt nec diutius mare contemplari & intueri potuiſſemus. Omnia nimbis, imbribus & procellis grauidæ tempeſtates vbiq; volantes triſtia & horrenda reddebant.

Tot

Tot igitur cœli terriculamentis perterriti, iratis nubibus terga ſubduximus, & timidiſſimis paſſibus in caſulam, vbi priori die confabulantes ſederamus, nos recipiebamus, quæ tutus tempeſtatibus aterrimis erat portus. Ibi ad menſulam cubans Princeps, voce geſtuq; ad terrorem quodam modulo compoſitis, ſic exclamare & loqui infit: O ſubitam & improuiſam tempeſtatis mutationem! imo omnium rerum viciſſitudinem! Nubiloſis ſerena ſuccedunt, ſerenis nubiloſa; nox diem ſequitur, imo eundem premit & trudit; & noctem dies, hyems æſtatem pellit, atque æſtas hyemem; Aer & maria cum quieta putantur & tranquilla, turbantur; iam ex orienti, modo ex occidenti, iam ex ſeptentrione, modo ex meridie flant venti; modo in mari lęte nauigia ludunt, modo miſere pereunt; innumerarum ſtellarum rota ex orienti in occaſum voluitur, & planetarum circulus ex occaſu in oriens vertitur; Riſus pediſſequus eſt fletus, & fletus ſequutor eſt riſus; Hæc veniunt, illa abeunt; hæc creſcunt, illa decreſcunt; hæc oriuntur, illa moriuntur. Contrariis rerum coaceruitas, aduerſis rerum ꝑpetuitas conſtat, circulantur omnia, atq; in orbe connexa ſunt: ꝑ eundemq; orbem eunt cuncta. Hanc rerum mutationem, hanc inſtabilitatem, hanc viciſſi-

viciſſitudinẽ. qs mutabit? Mutationibus quis non obnoxius? Fortis aſſumendus animus eſt. Eo nos muniamus; conſtantes ſimus contra fortunæ inſtabilitatem & inconſtantiam: fortiſſimi contra fortuita; certi aduerſus incerta. Hyems frigora adducit, fortiter algeamus; æſtas calorem profert, ſine querelis æſtuemus: intemperies cœli valetudinem mutat, ſine lachrimis ægrotemus; Fortuna bonis & donis denudat & ſpoliat; læti & inuicti careamus. Mors læthalem haſtam vibrat, tranqllè moriamur. Dũ his atq; iſtiuſmodi verbis aliis de rerum viciſſitudinib. in furuis & triſtibus tenebris philoſopharetur optimus Princeps, blanda lux caſulæ nitide affulgere, ignicomans ſol, ornamentum illud cœli, per volucres nubes proſpicere, & rutilum atque illuſtre cœlum læte ridere cœpit. Deinde ad me Princeps, at tu, Eluere mi, inquit, tu in tua oratione de conſiliis, à turbulenta & horrida tempeſtate abrupta, perge, & ſermone tuo non ſecus ac radians ſol hoc pectus meum foue, illuſtra & exhilara.

Sequitur ſermo de ipſo conſilio, ſiue conſultatione, & deliberatione.

Hac benigni Principis blanda inuitatione excitatus, & pergam, inquam, celſiſſime Princeps, pergam, atque de ipſa conſultatione ſiue conſilio eiuſque vero fine dicam.

Con-

Conſilium ſiue conſultatio mature eſt inſtituenda. Tempore pacis de bello, tempore fœlicitatis de infœlicitate, tempore tranquillitatis de tempeſtate cogitandum, & ſalua adhuc reipublicæ naue, ne intereat, conſulendum eſt. Stulti principis nota eſt, niſi neceſſitas impendenſque periculum vrget, circumſpectum eſſe, cui neceſſitas non prudentia deliberandi incitamentum eſt. Fœlicem ego ſemper dixi Rempublicā tempore pacis de bello cogitantem. Difficulter præſidia aduerſa fortuna inueniuntur, quæ ſecunda fortuna non fuerint quæſita. Pacis igitˀ tempore, vt dixi, conſultandum & prouidendum eſt, quî belli tempore reſpublica defendenda & protegenda ſit. Dum adhuc ſtat nauis in portu, futura tempeſtas prçcauenda eſt, ne eo tempore, quo in mari vagatur, procellas formides & trepides. *Gladiatorum eſt, non Principum*, teſte Seneca, *in arena conſilium capere*: Magna ſunt momenta tēporum, & multum intereſt, ante illud, an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. Prudentis & prouidi Reipublicæ rectoris eſt, non ſolum videre quid nunc temporis agatur, ſed etiam proſpicere & ꝓuidere q̄d futurum ſit: imo non minori curæ ei ſit, qualis reſpublica poſt mortem ſuam futura, q̄ qualis hodie ſit. Sapiens Princeps & prudens

Quando conſultatio inſtituenda ſit.

conſiliarius ſapientia & prudentia bono tempore præſentia componit, prouidet futura, & inſtauratione corrigit præterita. Hoc vt doceret Pythagoras, viro prudenti duorum temporum potiſſimum rationem eſſe habendam, dixit: mane ſcilicet, & veſperi: id eſt, rerum futurarum conſilium, & præteritarum iudicium. Impoſſibile eſſe, ait Gueuara, infœliciter ſuccedere, quæ maturo adminiſtrantur conſilio, nec fieri poterit, vt vnquam ſtulta committat Princeps, nec pœnitenda, nec etiam quæ offenſura ſint, ſi negotium, quod aggredi velit, matura & exquiſita mentis inſpectione expendat.

Quomodo Princeps in cõcilio quæſtionẽ proponere debeat.

Conuocatio porro concilio, & congregatis conſiliariis, Princeps in primo & digniori loco ſedeat, & capita illa, de quibus deliberandum & conſultandum eſt, clara voce, bono ordine & recta diſtinctione proponat.

Dandum eſt cõſiliariis deliberandi tempus, vbi de mora & feſtinatione.

His propoſitis det ſingulis ad deliberandum ſpacium, ne de magni momenti rebus præcipitanter, temere & incogitate dicant. Vtopicæ Reipublicæ auctor hoc quoque ſuadet, vt nihil, quo die primum in ſenatu quid proponitur, eodem diſputetur: ſed in ſequentem differatur ſenatum, ne quis, vbi quod in buccam primo venerit, temere effutierit: ea poſtea excogitet, qui-

bus

bus decreta ſua tueatur: maliтq; ſalutis publicæ, quam opinionis de ſe iacturam facere, peruerſo quodam ac præpoſtero pudore, ne initio parum proſpexiſſe videatur, cui proſpiciendum initio fuerat, vt conſulto potius quam cito loqueretur. Celeritas, veluti rationis & conſilij maxime inimica, vitanda eſt. Siquidem celeritas nouerca conſilij, prudentiæ peſtis & temeritatis mater dicitur. Σπεῦδε βραδέως: *feſtina lente.*

Ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ' ἀμείνων: ἡ δὲ ταχεῖα
Αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει:

Tardum conſilium longe præſtantius eſt;
Præceps aũt ſemper habet comitem pœnitentiam.

Sic eſt, celeritatem pœnitentia ſequitur, quia præcipitata conſilia haud repeti poſſunt, quia in integrum haud reſtitui poſſunt. Obſeruauimus, vt quæ ab aliquibus ſine præmeditatione dicta ſint, eadem iidem cum ſtupenda temeritate defendere conati fuerint. Omnis improuida feſtinatio cœca eſt, hanc error ſequitur, hunc caſus, caſum infœlicitas, hanc pœnitentia, quæ nimis ſera, quæ inutilis.

Da ſpacium, tenuemq; moram: mala cuncta miniſtrat
Impetus.

Scelera impetu, vt ait Tacitus, *bona conſilia mora valeſcunt.* Prudenter itaq; monebat filium ſuum Imperator Leo: *Delibera tarde*, inquit, *niſi aliqua ne-*

ceſſitas celeritatem requirat; at vbi conſulueris, feſtinanter exſequere. Ita eſt, princeps ſapientiſſime, celeritatem in conſultando repudio, niſi res, occaſio, & tempus aliud deſiderant & inſtans periculum celeritatem exigat. In periculis enim, nihil feſtinatione tutius, vbi ſcilicet rapienda ſunt, haud quærenda conſilia. Fugienda & fuganda cunctatio eſt, vbi pernitioſior eſt quies, quam temeritas. Nec verbis aut ſententiis diu concertandum, vbi res purgent. Vbi neceſſitas ſuadet proximum conſilium tutiſſimum eſt. Tacitus hanc regulam ſuggerit: *Cunctatione non opus, vbi pernitioſior ſit quies quam temeritas.* Adde q; plura negotia, aſſeuerante Tullio, oportunitate occaſionum, quam viribus recte confecta ſint. *Occaſio actionum anima dicitur, rerumq; omnium bene gerendarum mater.*

Momentum haud exiguum confert
Rebus agendis oportunitas:
Conſilia omnia ſuperat.

Non igitur damno celeritatem ſimpliciter, ſed eorum tantum temeritatem improbo, qui omnia præcipitanter tractãt, neglecta matura deliberatione. M. Fabij cunctatio vicit Hannibalẽ & Rempub. Rom. nutantem & labaſcentem ſeruauit: Contra in maximũ diſcrimen adduxit Minutij feruor, nimia celeritas & temeritas. Alias generalis

generalis regula eſto: *Maturanda* eſſe *conſilia, non feſtinanda.* Matura nec excedunt, neque deficiunt, neq; præcocia ſunt, neque decrepita. *Tardum conſilium,* inquit Lucianus, *longe præſtantius eſt, præceps ſemper habet comitem pœnitentiam. Feſtinare quoduis negotium,* ait Artabanus, *gignit errores, vnde maxima detrimenta oriri ſolent:* At in cunctando bona inſunt, quæ ſi non ſtatim talia videantur, tamen in tempore bona quis eſſe reperiet. Hoc Imperator Auguſtus bene conſiderans, ſæpe in corde & ore hæc duo verba habuit: *Feſtina lente.* Cui illud prouerbium non inepte aptatur: *Quod ratio nequit, ſæpe ſanauit mora.* Cum porro colligendorum votorum tempus acceſſerit, à quolibet conſiliario mentem & ſententiam ſuam, benigno vultu, intentis mente & auribus petat Princeps. Cum liquido conſtet, neminem in propria cauſa recte iudicare & ſentire, eos à concilio abeſſe iubeat princeps, quorum peculiariter intereſt. Hanc ob Athenienſes, teſte Ariſtotele, ad conſilia bellica non admiſerunt eos, qui agros limitaneos cum hoſtibus haberent. Hoc monitum omnis Princeps à me accipiat: vt à iuniore conſiliario incipiat, & ſic conſequenter vſque ad primos & Seniores conſiliarios ſententias colligat. Atq; hoc ideo moneo, vt eo libentius iuniores conſiliarij

Quid in colligendu ſententiis conſiliariorū princeps initio obſeruare debeat.

mentem ſuam Principi aperiant. Scio ego, atque explorata fatetur veritas, ſæpiſſime in conſultationibus fieri vt ſententiis, primum à ſenioribus, & principalioribus conſiliariis, dictis, iuniores à ſeniorum fauore, & authoritate pendentes, ſenioribus contradicere timuerint, veramq; animi ſententiã ſilentij nube obtexerint, & pedib. (vt dicitur) in illorum ſententias adulantes iuerint. Iam, iam hoc monitum omni Principi danti mihi in memoriam irrepit, quod itidem obſeruauit Iohannes Baptiſta Lenck, ſic, ni fallor, ſcribens: *Damus ſalutare Principi conſilium, vt ſemper ab infimo quoque & cuius inualida adhuc ſit autoritas, initium faciat de re propoſita cenſendi, ne ſi id à quopiã præſtantiori fiat, aliorum mentes aut præſumta prudentiæ opinione perſtringantur, & metu vel offenſionis, vel alieni conſilij, occultare potius ſententiam animi ſui, quam non adſtipulari ſpectatioribus velint.* Idem ait Dio: *Præoccupabuntur inferiores ac quaſi terrore abſtrahẽtur, ne ſententiam ſuam liberius proferant, ſi authoritate & potentia ſuperiores votum ante eos dixerint; idque propterea, quod eis contradicere non audeant.* Porro inuerſo nonnunquam ordine Princeps vti poterit, vt ſcilicet in rebus ſubitam & celerem expeditionem requirentibus igniora & calidiora ingenia primum, deinde melancholica & phlegmatica ingenia

genia quærat. Poterit quoq; in quibuſdam grauiſſimis cauſis hac hora alium, illa hora alium conſiliarium ad deliberationem in conclaue clā cœteris vocare, vt illud, quod coram amicis & fautoribus ſuis parum libere pronunciauerit, ſolus Principi ſoli dicat.

A conſiliariis ſuis quandoque in ſcriptis & chartis conſilia poſcat, quando ſcilicet ſententias exactius conſiderare cupit, quando conſiliarius neceſſitate quadam domi tenetur, & quando ab aula abeſt.

Omnis Princeps omnibus & ſingulis conſiliariis ſuis loquendi libertatem det, vt ſcilicet liberrime ſententiam ſuam dicant: ſeque omnis Princeps ſic componat, vt alacritatem, &, vt dicitur, animum & confidentiam conſiliariis addat. *Pauidis* namque *conſilia in incerto ſunt.* Theopompus Lacedæmoniorum Rex quærenti qua ratione quis fidele & perpetuum ſeruaret regnū: *ſi amicis*, inquit, *iuſtam admonēdi libertatē concedat, ac ſubditos quatenus efficere poſſit, non negligat lædi.* Audi quoq; Oratorē Grçcū Iſocratē: *Tanq̄ ſatis iam*, inqt, *noueritis, quid factu ſit optimū, non niſi eos audire vultis, q ad gratiā concionantur. Enimuero decebat vos, ſi publicā vtilitatē ſpectaretis, attentius eos audire, qui voluntatib. veſtris aduerſantur, quam illos qui aſſentantur omnia.*

Princeps dare debet omnibus & ſingulis conſiliariis dicendi libertatē.

Nec

Nec enim ignoratis ab his, qui ea, quæ vultis ex hoc loco dicunt, facile vos poſſe decipi. Nam ad voluntatem audiẽtis inſtituta oratio, quaſi tenebras circumfundit, quo minus id quod vtiliſſimum eſt perſpiciatis: ab his autem qui conſulendo, veſtram gratiam non aucupantur, nihil eſt tale metuendum. Nullo enim modo vos à ſententia abducent: niſi quid expediat, euidentiſſime demonſtrarint. Præterea, qui fieri poteſt, vt illi vel de præteritis rectè iudicent, vel de futuris prudenter deliberent, niſi contrarias inter ſe rationes conferant, & ęquos vtriſque auditores ſe præbeant? *Huius rei inopia,* vt Seneca quærit, & me experientia docuit, *laborant magna faſtigia? quid omnia poſſidentibus deeſt? ille qui verum dicat.* Et Plinius; *vidimus* (ait) *curiam elinguem, in qua dicere quod velles, periculoſum: quod nolles, miſerum, quis antea loqui, quis hiſcere audebat, præter miſeros illos, qui primi interrogabantur? cæteri quidem defixi & attoniti ipſam illam mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem, quam cum animi dolore perpetiebantur, vnus ſolus cenſebat, quod ſequerentur omnes.* Hoc conſiderat Petrus Gegorius, cum, *fidere vnius alteriuſue ſententiæ,* ſcribit, *valde periculoſum Principi eſt, propter incertitudinem voluntatum adulatorum & proditorum, quibus, vt vermibus, ſcatet aula Principum: & cum omnis homo non ſapiat omnibus horis, & bonus quandoque dormitet Homerus, ita multos conſilio adhibere erit tutius,*

tutius, vt ait Philippus Cõminæus in aulicis rebus exercitatiſſimus: Hoc præceptum principib. tradens, ꝗ plures habeant conſiliarios, ne vnquam cuipiam ex illis ſoli, committat negotiorum ſuorum directiones, vtque omnes fere qui ſunt à cõſilijs habeat æquales, alioquin enim ſi vni plus, q̃ cœteris fauere videatur, ea eſt natura hominum propter fauorẽ Principum ad factum lubrica, vt is alijs imperare velit, & minus ſint poſtea liberæ voces in conſulendo, metuentibus alijs ne aduerſentur ſententiæ huius prædilecti, qꝫ ne accidat, cauendum eſt Principi; hinc enim ſequitur facile pernicies reipub. & conſilioꝛũ corruptio. Quare dixi, quod princeps omnib. & ſingulis conſiliariis dicendi libertatem dare debeat. Et ſi quis timidiori ſit animo, à Principe eſt erigendus, atq; ad dicendum alacritas iniicienda eſt. Ita eſto, alacritatem ad dicendũ conſiliariis excitet princeps, atq;, quod Reipub. ſaluti ſeruiat, id tantum quęrere ſerio teſtetur; attentis auribus vultuq; benigno nõ ſecus inferiores ac poſtremos, quam primos audiat.

Conſiliarius porro intrepide, ſapienter & nude mentem ſuam aperiat, & veraciter ſententiam clara voce dicat. In deliberatione & conſultatione vtatur naturali coniectandi vi, nec

Quid conſiliariis in conſultatione & dicenda ſententia conſiderare & quibus ſcientiis vti debeat.

non coniectandi artificio è logica, ita vt hac illa & illuſtretur & perficiatur, & confirmetur, imo & gubernetur: vtatur etiam artis politicæ peritia; conſuetudinum & Iuris ſcientia, vtatur inſuper exemplorum tam præteritorum ſeclorum, quam noſtri æui ſpirantium adhuc, partim ex propria experientia, partim ex relationibus, partim ex peregrinationibus hauſtorum reminiſcentia.

Quemadmodum conſiliarium cōueniat, aliorum conſiliariorum ſententias examinare, refutare, & approbare.

Cum ratione & veritate anteriorum conſiliariorum ſententias examinet. Non ſit inuidus, nō obtrectator, nullum maledictis proſequatur. Si priorum ſuffragia conſiliarius haud probauerit, & ſuam ſententiam contra aliorum dicere geſtit, ſumma animi tranquillitate, ſummaq; humanitate dicat; cōtentioſas elataſq; voces fugiat, & validiſſimis firmiſſimiſq; rationib. verborū cōpendio, ſine inuectiuis & duriorib. verbis mentē ſuā enunciet & probet. Si anteriorū vero ſententias ꝓbauerit, paucis verbis aſſentiatur: ineptū & incōcinnum eſt, in mediū iam ꝓlata phalerata polylogaq; concione repetere. Periclem imitetur, hic antequam in publico verba fecit, optauit, ne vllum ſibi verbum à re alienum ore excideret.

Conſiliarius explicite ſenſentiam dicere debet.

Stulti potius quam prudentes illi à me habentur, qui nihil explicite pronunciant, ſed tectis & com-

compoſitis verbis ſententiam ſuam concipiunt, & ideo inuolucro proloquuntur, ne ſcilicet, ab ijs, quorum fauore gaudẽt, diſſentire videantur. Ineptos & illos habeo, qui hanc ob cauſam ſentẽtiam ſuam orationis tenebris & verborum nube inuoluunt, vt ſingularia, vt admirabilia, vt ſubtilia, alta & ſibi ſoli cognita conſulere demonſtrent.

Inutiles ſunt in deliberationibus pedarii.

Inutiles quoque ſunt pedarij, q̄ haud q̄d dicatur perpẽdunt, ſed q̄s dicat, attendunt: Hi anſeres imitantur, quorũ vno clangẽte & glacitante oẽs reliq̄ illico clangũt & glacitant: hi ceruos ſequũtur, aliorũ veſtigijs inſiſtentiũ: hi armentis ſimiles ſunt, q̃ à præcedentium ductu nequaq̃ recedunt, q̃ non quo eundũ, ſed quo ducũtur, ſine ratioae eũnt; aut ſtulti & ſtupidi dicendi ſunt, quia à proprio nihil adducunt, quia in ſententiam pedib. eunt; aut adulatores & aſſentatores, quia popiſmata p̄bent, quia ne offendant, vera reticent.

Conſiliarius magis profutura ſententia, quã ornatiori eloquio in dicenda ſententia ſua ſtudere debet.

Contemptui & illi ſeſe exhibent, q̄ in dicendo ſuffragio magis ornatiori eloquio, q̃ profuturæ ſententiæ ſtudent, quã ſumma verborũ elegantia, ſermoniſq; longa venuſtate declamant. Principẽ puare credentes, tantum cœteris ſapientia & pruientia præſtare, quantũ facundiori eloquio.

Conſiliarius in

Bonum conſiliũ (mea ſentẽtia) bon⁹ cõſiliari⁹

 bene

dicenda ſententia verborũ volubilitatem vitare debet.

bene dat verbis & rationibus efficacib; non verborum nimia volubilitate & vana copia. Ab hiſce igitur, iſtius modique alijs ineptiis abſtineat & caueat omnis conſiliarius, ſed aperte, diſtincte, breuiter nude & candide ſententiam ſuam promat & pronunciet: haud confundat verborũ volubilitate & orationis celeritate; haud offendat faſtidioſa tarditate: haud occæcet improba obſcuritate.

Prudens conſiliarius in dicendo conſilio haud vtitur multiloqua aut vaga, ſed potius breui ſiue mediocri oratione.

Sic eſt Princeps ſereniſſime: In dicendo conſilio ſiue ſententia ſua haud vtatur conſiliarius multiloqua & vaga, ſed breuiori ſiue mediocri & arguta oratione. Neque vſurpet proœmia, neq; epilogos, ſed totam dicendo induſtriã, & conatũ in conſilij & rei ſubſtantiam defigat & dirigat. Hinc eſt q̃ Cicero monet: *In conſeſſu*, inquiens, *Senatus minori cum apparatu, quam in concione dicendũ eſt: vitanda eſt ingenij acoſtentationis ſuſpicio: Vtendum Laconica breuitate vt ſit omnibus dicendi locus, & ne alios audiendo ſeipſum loquendo defatiget is, qui ſententiam ſuam explicat.* Conſiliariam dignitatem breuitas & perſpicuitas decet, & ſententia, vt plene planeq; intelligatur, vnde abſque fucis & verborum ambagibus aperienda & proferenda eſt. Scholam reddens eloquentia indigna eſt conſiliario viro. Audiamus hic Plutarchum: *proliʃtas,*

inquit,

inquit, *in ſententiis dicendis declinanda: ſtudendum breuitati eſt:* & inter ſenatoris iuſſa illa Cicero recenſet: *vt vocatus compareat, dicat & loco, hoc eſt rogatus, & modo, ne ſit infinitus, quod multis dicendum.* At habet prolixitas in ſententiis dicendis oſtentationem ingenij, Eloquentiæ, & memoriæ: eſt moleſta auditoribus, maxime iis, qui curis variis diſtricti diſtentique tenentur. Hac qui gaudent ſeipſos loquendo, audiendo alios, vt dixi defatigant.

Non ſit cōtumax cōſiliarius in delberationibus, neq; ſententiā ſuam pugnaciter defendat.

Non ſit porro contumax conſiliarius, neq; ſententiam propriam ita pugnaciter defendat, vt nemini cedere velit: Non ſit ita honoris cupidus, vt cœterorum conſiliariorum meliorem ſententiam approbare nolit. Præcipuus enim viri ſapientis & prudentis, vt ille ait, conſiliarij honor eſt, amare & amplecti veritatem, & principis ſui ac republic. commodum cuilibet vanæ conſiderationi anteferre: nam *nemo doctus vnquam* (vt grauiter Cicero) *mutationem conſilii in melius inconſtantiam eſſe dixit.*

Conſultatiores ſacra eſt quare ad deliberandum eſt ſancte accedēdū, quid conſulas bene

Conſultatio, teſte Philoſopho, *ſacrum quiddam eſt, & eorum quæ ſunt inter homines, diuiniſſimum eſt concilium.* Hanc ob rationem ad deliberandum ſancte accedendum eſt; quid conſulendum, probe conſiderandum eſt, libera mente, liberoque ore

bene pon. derãdum ſanctè libera mente liberoq. ore ſine adulatione quod Reipubl. conducat, dicendum. Adulatio nes Rerũ publicarũ peſtifera mala ſũt.

dicendum eſt; non quod Principi placeat, ſed quod Reip. expediat, conſulendum eſt. Conſiliarius qui adulans vera reticet, falſa principi ſuadet, & principem & rempublicam perdit.

Si hoc apud te, princeps celſiſſime, controuerſum eſt, ſi in hoc ambigis, ſi hæres, ſi hæſitas, audias quæſo ſapientiſſimorum Philoſophorum ſententias, qui idem planius reddent: *Non vides*, inquit Seneca, *quemadmodũ illos* (Principes) *in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetq;, ſed adulandi certamẽ eſt, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandiſſime fallat? Approbato eos*, inquit Epictet⁹, *q bene conſulere cupiunt, non etiam eos q vbiq; adulari ſtudent: Illi.n. vtile in veritate cernunt; iſti vero, ea quæ potentib⁹ placent, ſpectant; corporumq; vmbras imitantes, omnibus illorũ dictis aſſentiuntur.* O vitate Conſiliarij hanc peſtem! *Aſſentari*, ſcribit Demoſth. *aſſentari & placita loqui in conſilio Reipublicæ perniciem maximam adferre ſolet.* Philo-Iudeum audiam⁹: *An non vides*, ait, *iſtos adulatores, qui tam noctu, quam interdiu permulcent aures ſuis regibus, nec tantum applaudunt dictis eorum ſingulis, ſed & prolixis eos ornant laudibus, quos tamen exſecrantur taciti, quantumuis fauſta ominando propalam.* Hinc Crates Thebanus aiebat eos principes, qui cum aſſentato-

ſentatoribus viuerent, non aliter deſertos eſſe, quam ſunt vitulæ inter lupos. Neque enim illos adeſſe, quos oportet: neq; cum iis qui adſunt, habere ſocietatem, cum ſint inſidiatores. Vitent igitur mei conſiliarij vbiq; & ſemper, & præcipue in deliberationib⁹ adulationes, & aſſentationes, ab adulandi ſtudio tanq̃ inteſtino morbo abhorreant, & palliatę aſſentationis popiſmata relegẽt: nõ applaudant Principi, nõ aſſentiantur, nec gratiæ tantum litent, plus valeat apud illos rationis, veritatis & Dei amor, quam rerum terrenarum, & gratiarum. Petrus Gregorius de hac re ſic ſcribit: *Neque mihi obijciendi ſunt mores,* inquit, *quorundam Principum; qui nihil magis deteſtantur, quam conſtantes viros & probos conſiliarios, & vtuntur pernitioſis quibuſdam aulicis pro conſilio: quid enim mihi cum talibus, quorum interitus proximior erit quam perpetuitas principatus? Qui amat periculum, peribit in eo.*

Miſerum certe & deplorandum inter Chriſtianos Principes, qui miniſtros ſeu officiarios cuiuſcunque habent generis, qui eis omnium ferculorum in menſa copiam adferunt, nullus autem ſit, qui eis offerre audeat veritatis ferculum. Applaudendum quidem in multis Principibus eſt: at in negotiis publicis, vbi agit᷑ de eorum honore, ſalute, & de publica vtilitate, veritas

ſerio

ſerio illis eſt proponenda, quæ quamuis prima fronte videatur eis rigida, tamen paulatim cogitata incipit placere, & vtilis eſſe. *Æquum eſſet,* dicebat Demoſthenes, cum de Cherſoneſo agit, *ô Athenienſes, vt oratores veſtri omnes, neque odio impulſi, neque ad gratiam cuiuſque verbum vllum loquerentur, ſed quod quiſque optimum duceret, id proferret.*

In deliberationibus vitet conſiliarii diſſimulationes. vbi de ſpe & metu nec non de inuidia & pudore agitur.

Nec adulationem tantum fugiat conſiliarius, ſed etiam diſſimulationem, imprimis vbi Eccleſiæ & Reipublicæ imminet damnum: hic non diſſimulet, non taceat, ſed, nec dubie loquatur. O ſpes & metus quid poteſtis! à vero abducitis & ad falſa adducitis: prudẽtes viros vulpeculas redditis, vt cautiſſime diſſimulent, vt publice vtilia reticeant, ne in Principis offenſionem, ne in aliorum conſiliariorum odium incurrant. Egregie & perſpicue de hac re diſſerit Ribadeneira, quem hic auſcultemus: *Nihil prodeſt mulierem concepiſſe,* ait, *& in vtero fœtum illæſum conſeruaſſe, ſi, cum pariendi tempus inſtat, prolem in lucem effundendi vim non habeat; ſic exiguæ eſt vtilitatis, bonum Conſiliarium prudentem eſſe, virtute flagrantem, & ſtudioſe præmeditatum quid ea in re, de qua deliberatur, faciendum ſit, Si libertate vique dicendi careat. eſtque ſimilis militi ab armis inſtructiſſimo, qui, dum pugnandum eſt, ex vagina gladium educere hoſtemque ferire nequit.* Et vt Ariſtotele auctore,

ctore aliud eſt, eſſe virum bonum; aliud, bonum ciuem: ita aliud eſt, eſſe hominem prudentem, & virtutibus excultum; aliud, eſſe bonum conſiliarium: cuiuſmodi non erit, etiamſi prudens ſit, & virtute præditus, ſi, de qua loquimur, libertate dicendi deſtituatur. Quam etiam dicendi libertatem in bono Conſiliario maximi ponderis propterea eſſe dixi, quod rara ſit, & in paucis inueniatur, licet adeo ſit neceſſaria, vt officium ſuũ recte obeat. Duos lictores domeſticos & carnifices inteſtinos quis habet mortalis, amorẽ & timorem: ille deſiderio conſequendi, hic metu amittendi rem amatam, eum torquet & excruciat: atque hi duo tortores Conſiliarij animo obuerſantur, ne libere loquatur & ſententiam dicat: nam interdum vt rem gratam faciat Principi, & eius voluntatem ſibi deuinciat, interdum ne illum vel familiares illius offendat, aut tacet ꝙ dicendum eſſet, aut frigide verbiſque implicatis & ambiguis ſuã profert ſententiam, quodq; peius eſt, aliter ac ſentit dicit, vt Domino ſuo blandiatur: qua in re grauiſſime in Deum, in rempub & in ipſum Principẽ peccat; huiuſq; criminis poſſit eſſe materia & grauitas tanta, vt damna præſtare teneatur ex eo, ꝙ opinionẽ ſuam libere atq; ſyncere non dixerit, conſecuta. Porro Cicero ſuo æ-

uo pleroſque fuiſſe, ſcribit, qui quod ſentirent, etiamſi optimum fuerit, inuidiæ metu non auſi ſint dicere.

Linguam cui ſuſpendit incluſam metus,
Vt nunc, ita olim viſus eſt ſemper peſſimus.

Quisquis metu cuiuslibet poteſtatis, inquit Auguſtinus, *veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat, quia magis timet hominem quam Deum.* Conſiliarij munus eſt, libere, aperte, ingenue, nude & candide ſententiam ſuam in conſilio proferre, quam putat & Eccleſiæ & Reipublicæ & principi fore ſalutarem. Si propter veritatem occultam, & deſertam homines non metuunt, timeant (moneo.) cordis noſtri inſpectorem, iniuſti dicti, & iniuſti haud dicti, fandi, inquam, & nefandi, mali vindicem, reſpiciant boni remuneratorem Deum. Memoratu digna vox eſt M. Q. Capitolini ad Quirites: *Vellem equidem vobis placere*, inquit, *ſed multo malo vos ſaluos eſſe, qualicunque erga me animo futuri eſtis.* Et Seneca ad Neronem: *Malo veris te offendere, quam blandiendo placere.* Veritatem igitur ſpectet omnis conſiliarius & ſalutaria non celet. Inſtar boni prudentis & candidi medici eſt bon⁹ cōſiliarius, qui iucunda & dulcia ægroto libenter daret, ſed multo magis ſalubria, licet amara ſint, dat & offert. Peccat coquus, qui in cibo condiendo

do nullum valetudinis reſpectum, ſed palati & gulę rationem ſolummodo habet. Quando præcipue Dei honos & gloria, necnon Eccleſiæ ſalus periclitatur, ſi deinceps Reipublicæ vtilitas in periculo verſatur, tunc nullum diſcrimen conſiliarium teneat, nulla Principis gratia ſiue quicquam aliud eum cohibeat, quin cum Themiſtocle clamitet; Feri;ſed tamen audi. Alta, alti philoſophi, verba ſibi quoque dicta putent mei Conſiliarij: *odium qui nimium timet, regnare neſcit,*

Malus & fugiendus inſuper,
Malus eſt miniſter regij, imperij pudor.

Poſſumus conſtanter, inquit conſtans politicus, interdum Principibus applaudere: poſſumus etiam illorum incommoda, & contumelias nonnullas & ineptias, non modo perferre, ſed amanter etiam regere: at in conſiliis & negotiis publicis, veritas nunquam reticenda. Neq; muneri ſuo ſatisfacit conſiliarius, qui prioris ſententiam non probat, (vt nonnunquam ab aliquibus fit) capite annuit. Quamuis enim dici ſoleat, ait Hippolytus, eum, qui tacet in rebus, quæ noxię eſſe poſſunt, non haberi pro conſentiente: id tamen hoc in loco non obtinet, vbi maneſeſte annuere eum apparet, alioqui clare diſſentiret, & diſſenſus ſui cauſam adduceret. quin imo di-

cendum, cum dupliciter peccare: aſſurgendo vel annuendo, & ſic conſentiendo & tacendo quando maxime loquendi tempus fuerat. Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt.

Conſiliarium in dicẽda ſententia ſua libertatem cũ modeſtia, reuerentia, & prudentia ſale, repudiata audacia, condire debet.

Hanc tamen dicendi libertatem, cum modeſtiæ, reuerentiæ & prudentiæ ſale condiat conſiliarius, & morum iucunditate, lenitate & breuitate mitiget atq; temperet. Hoc in conſiliario, monente Hippolyto, vitandum: alterum, ne loquendi libertatẽ cum audacia & immodeſtia cõfũdat, & inani iactatione libertatis, famã fatumq; ꝓuocet: ꝙ fit, quando quis in propria obſtinatus ſententia, nõ veretur ſpecie vtilitatis & veritatis, verborum aculeis alios mordere, crimina detegere, maledictis famam ꝓſcindere: q̃ petulantia potius & ſcurrilitas, q̃ loquendi libertas vocanda eſt. nam vera libertas bonum tantum publicũ reſpicit. *Falſò libertatis vocabulum obtenditur*, ait Tacitus, *ab ijs, qui priuatim degeneres, in publicũ exitioſi, nihil ſpei niſi p diſcordias habẽt.* Qui hac libertate vti vult, vt monet Quintilianus, debet rei, loci, tẽporis & pſonarum rationẽ habere, vt & ſui ipſius. Maior libertas, diu in ſenatu aliquo verſatũ decet, q̃ recens admiſſum. Modi item ne clamore, vel alio corporis habitu, iræ vel alterius pturbationis ſuſpicionẽ moueat, & nihil arroganter, nihil proterue.

terue, nihilq; ad oſtentationem proferat: neque acerbis facetiis delectetur, quin potius illius meminerit acerbarum facetiarum apud præpotentes in longum memoriam eſſe.

Hæc ille. Tenentur aſſeſſores, ait Petrus Gregorius, conſulere potius quod magis expedire, quam quod placere putent. modeſte tamen & conſeruata Principis maieſtate, ſine inuectiuis & durioribus verbis, interrogantur enim conſiliarij vt ſententiam dicant; non vt ſtatuant, aut imperent. Et debent ita ſentire ſe munere ſuo functos ſi quæ videantur meliora protulerint, concluſionem vero negotij nō eſſe ſuarum ſed principalium partium. Itaque non abs re faciunt autores Politici, Plutarchus & poſt hunc Iunius qui modos præſcribunt certos, quibus in dicendi libertate ac neceſſarijs reprehenſionib. vtendum, vt omnis vitetur offenſio, inquiunt, prudens moderatio requiritur: ne, vt Chryſoſtomus quodam in loco ſcribit, dum rupturam ſarcire volumus, maiorem diruptionem faciamus: collapſaq; cupientes erigere, caſum grauiorem inferamus.

In conſultationib. dominari debent Recta ratio atque erga Remp. ſyncerus amor.

In deliberationibus, conſilijs & conſultationibus porro dominetur recta ratio, & erga Rempublicam verus ſyncerusque amor. De amore pergo, & dico; pro nihilo eſſe ducendum, quod

conſiliarius ſapiens & prudens ſit, quod ingenio alacri præditus, quod eloquens ſit, quod linguas calleat, quod hiſtoriarum cognitionem habeat, quod multas nationes & vrbes viderit, quod Philoſophiam didicerit, quod Reipublicæ leges ad digitos enumerare meminerit, quod pacis bellique tempore rempublicam adminiſtrare ſciat, & quicq̃d inſuper cœterarum qualitatum, & virtutum: hæc omnia, inquam, pro nihilo ducenda ſunt, ſi amore erga rempublicam carebit & loco iſtius affectus odium aut praua & priuata cupiditas ipſius cor occupauerit. Longior hic fuiſſem, & q̃ ſum̃e neceſſarius in cõſiliario ver⁹ ſynceruſq; ergaRemp. amor ſit, niſi pluri b. deducerẽ iam ſupra, vbi de aliena in cõſiliario animi qualitate dixi, hanc rẽ me deduxiſſe, iã memor eſſem. Olim apud Athenienſes, teſte Plutarcho, legẽ ſancitũ erat, vt quoties aduocata concione, populus de Repub. conſultabat, præco maxima voce diram cladem & exitium illi, & poſteritati eius imprecaretur, qui Reipub. inutile conſilium daret, ne ipſe incommodum aliquod ſubiret. Erant aũt illæ execrationes quæ caput ciuis perfidi deuouebant tam horrendis verbis ſcriptæ: vt maximum metum omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui legem illam

tulit

tulit, nihil eſſe acuto ingenio ſine fide, ſine Reipublicæ ſtudio, ſine patriæ caritate, pernicioſius. Extat apud Herodotum Ariſtidis oratio, *certare*, inquit, *nos oportet, Themiſtocles, non priuatis ſimultatibus & odiis: ſed vter noſtrum melius de patria mereri, & plura in eam beneficia conferre poſſit.* Ad hanc Ariſtidis orationem, proloquebatur Princeps, & exclamans ô merito, Eluere, inquit, repetendum & optandum eſt, vt in conſiliis & deliberationibus ſyncerus erga rempublicam amor, excluſa nefaria & nefanda cupiditate, dominetur. Vbi namque ſui amor, cupiditates & vitioſi affectus regnant, ibi nihil ſanctum, nihil religioſum, ſed omnia à nefarijs illis furijs, tanquam tyrannis di ripiuntur, inquinantur & vna cũ republica perduntur. Ad hanc principis piam & ſapientem exclamationem, ſic volo, inquam ego, ſereniſſime Princeps;

Conſiliarij in conſultationib. affectus deponere & obliuiſci debent.

In conciliis affectus obliuiſcantur mei conſiliarij, neque in conſilium adferant animos ira, odio, inuidia, timore affectuum æſtibus conturbatos, ſed potius ante conſilium affectus ſeponant. *Affectus* enim, teſte Platone, *mali ſunt conſiliarij.* Affectus cor, quod eſt fons caloris, vehementer vibrant ac commouent; corde vibrato incaleſcunt atq; exæſtuant, imo & incẽduntur

ſpiri-

ſpiritus; & ita incenſi atq; in cerebrum delati, nullius rei imaginem vel ita integram & diſtinctam, vel ita fixam ac ſtabilem menti repræſentant, vt recta aliqua & prudens cogitatio exiſtere poſſit. Exemplo ſunt phrenetici, quorum ſpiritus in cerebro cum incenſi ſint, idcirco ſermo eorũ nulla parte cohæret. Qualis autem ſermo, talis & cogitatio. Vt enim cogitatio rerum, ſic ſermo cogitationis effiguratio eſt & imago. Id ergo eſt ira aliuſque affectus vehemens in mente, quod calx in oculo.

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Concludimus itaque mentem eam, quæ prudens ac ſalutare conſilium excogitare debeat, placidam, pacatam, ſerenam, tranquillam, & ab affectuum omni perturbatione liberam eſſe oportere. Hæc ille. *Omnes homines* (inquit Saluſtianus Cæſar) *qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facile animus verum prouidet, vbi iſta officiunt; neque quiſquam omnium libidini ſimul, & vſui paruit, vbi intenderis ingenium, valet: ſi libido poſſidet, ea dominatur; animus nihil valet. Magna mihi copia eſt memorandi, P.C. qui Reges, aut populi, ira, aut miſericordia impulſi male conſuluerunt.* Liuius, ex priuatis affectionibus, ſcribit, fere, omnem humanæ vitæ perniciem naſci.

Repe-

Repeto hic, Princeps celſiſſime, ponere debet omnis conſiliarius in conſilio dando appetitus & compoſitis affectibus conſulere; imprimis iram exuat.

Nemo recte ratiocinabitur, nemó bene conſulet iratus; nullus inuidus, nullus arrogans, nullus odij diſſenſionis contentionis & ſimultatis amans rectum conſilium inueniet. Ira nihil conſiderate, nihil recte, vt Cicero ait fieri poteſt. *Ira malus eſt cōſiliarius.*

Haud tuta in ira conſilia capi queunt.

Nihil diligenter, inquit Seneca, *in fluctu cernitur:* Eleganter & recte Plutarchus: Ὡς διὸ ὁμίχλης τὰ σώματα, καὶ διὸ ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται: *Vt per nebulam corpora, ſic per iram res videntur maiores.* Itaque οὐδεὶς μετ ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται:

Haud tuta in ira conſilia capi queunt.

Ira mentis omne conſilium primit.

O quam te (inquit Plato ad ſeruum, ira accenſus) *cæderem, ni iratus eſſem.* Et Xenocrati interuenienti: *caſtiga hunc puerum,* inquit, *nam ipſi ſum iratus.* Ex hiſce verbis videre eſt, diffidiſſe ſibi Philoſophum ſentientem grauem animi commotionem.

Memoratu digniſſimum eſt, quod de Ariſtide ſcribitur, is cũ Themiſtocle ſibi inimiciſſimo in

legatione miſſus, cum ad portam veniſſet: *vis ne, ô Themiſtocles,* inquit, *inimicitias paulisper hic deponamus, recepturi eas cum redibimus.* O vocem gemmeã & memoria dignam! Animus ira, odio, vel aliqua alia perturbatione incitatus, haud recta ratione regitur, haud veritati aſſentitur.

Nemo iræ ſeruiens recte iudicat. Ira & odiũ lucem animi obfuſcat, & libertatem voluntati eripit. Fumi ex ſanguinis feruore aſcendentes, maiora omnia contemplantibus efficiunt, quã ſint reipſa: ſol quoque apparet per fumos & exhalationes conſpectus. Quapropter aut deponẽda eſt ira antequam in concilium intramus, aut conſultationes & actiones tantiſper differendæ ſunt, dum & ſanguinis ebullitio deferbeat, & fumi reſideant ſiue euaneſcant: ſitientes imitemur, hi aquam turbulentam haud bibunt, priuſquam clara ſit, ne ſcilicet aquam ad vitam & ſanitatem ſuam ſuſtentandam, ad ægritudinem ſiue mortem abutantur.

In cõſultationibus vitanda eſt diſcordia peruicatia & inuidia.

Iram comitatur Diſcordia & peruicatia, has omnino quoq; in deliberatione fugiat conſiliarius Iulius Claſſicianus Suetonio diſcors, teſtante Tacito, bonum publicum priuatis ſimultatib. impediebat. *Quæ eſt illa nauigatio,* ait Lipſius, *in qua remiges & nautæ in vna naui aliqua digladiantur:*

tur: eadem erit conſultatio, in qua de communi re, abſque cõmunione animorum, conſultatur. Prouerbio dicitur: Rem communem ſine cõmunione animorum, nunquã recte adminiſtrari. Hiſce vitijs animiq; perturbationib. laborans, ad cõſilium dandũ, & pleno concilio deliberandum inutilis eſt, qui ab aliis conſiliariis ſemper diſſidet, nullis cedit, ſingulis refragatur: alius conſiliarij ſententiam & conſilium, quamuis egregium & reipublicæ ſalutare, ſi ipſe non attulit, culpat, cauillos excogitat, correctiunculas addit, & nodũ, quod aiunt, in ſcirpo quærit, veritatem diſputationum labyrintis inuoluit, & præſtigiis Philoſophicis aliorum ſententiam eludit: Nihil cuiquam quicquam concedit: Non quid bonum aut malum ſit ſpectat; non quid proſit aut obſit conſiderat, ſed quod lubet promit.

Experti ſumus, ſępe à quibuſdam conſiliarijs Reipublicæ ſalutares ſententias dici, verum illi aliis odio & inuidiæ ſunt, ideo nec honorem illis iſti tribuentes illorum ſententias ſuperbe damnarunt.

At ô contẽptores, contẽptores, in Deũ ſcrutatorẽ cordiũ, vos peccare ne obliuiſcimini. Scitote, veritatẽ, à quocunq; dicit, à ſpiritu ſancto eſſe: & Spiritui ſancto, & Chriſto veræ veritati con- *In conſultationib. veritati ſtudendum eſt.*

 tra-

trarios eſſe eos, veritati cognitæ contradicentes, cogitatè. Iniuriam & Principi & reipublicæ facitis, ſi vos veſtræ laudi conſulentes, ſi veſtro odio & iræ indulgentes, cauillamini, & bona reiicitis, quę à bonis bene dicta ſunt: O peccatum ingens & deteſtandum! Deo veritati ex ſimultate & odio contradicitis, & Rempublicam animamq; veſtram miſeram miſere miſeri perditis. Hoc animi morbo infectus Appianũ audiat: *Perniquũ eſt, propter priuatas ſimultates Rempublicam in diſcrimẽ adducere, nec abutendum occaſione ad explenda odia, ſed potius Reipub. ſunt donandæ priuatæ iniuriæ.* Appianũ igitur audiat contentionis amans, Ariſtidem imitetur, & cum Prudentio gemens potius quam iubilans cantet:

Sciſſura domeſtica turbat
Rem populi, titubatq; foris, quod diſſidet intus.
Ergo cauete viri, ne ſit ſententia diſcors
Senſibus in veſtris.

Faceſſat in deliberationibus Timor & puſillanimitas, nec non pecuniæ ſtudium & auaritia.

Faceſſat & deponatur in conſultationibus timor & puſillaminitas: ſiquidem prouerbio dicitur: *Pauidis conſilia in incerto eſſe.* Faceſſat etiam in deliberationibus pecuniæ ſtudium & auaritia. Nullum iudicium, nullumque rectum cõſilium in eo, qui pecunijs adſtupet. Non recta mente præditus eſt, cui mens cumulandis theſauris

ſauris & diuitijs incenſa eſt. Talis fide caret, ſinceritate caret, amicitia caret: talis bonum publicum ſpernit, priuatum vnice quærit. Huic nihil ſanctum, huic nihil magnum, huic nihil aliud charum quam diuitiæ, opes, theſauri. omnes virtutes, omnes artes cum fide & pietate ſubuertit auarus. Auarus diuina cum humanis, bona cum malis, fanda cum nefandis miſcet atque remiſcet. Nulla vis obſtat, neque exercitus, neq; mœnia, neq; propugnacula alia impediunt, quo minus vi ſua auaritia penetret. Semper ſapienti auarus ſuſpectus eſt, quin theſauris corruptus fidẽ violet. Prouide itaq; apud nõnullos populos lege, teſte Philoſopho, cautum eſt, ne, ij, qui agros hoſtibus finitimos haberent, in conſilium adhiberentur de bello, quod cum finitimis ſuſcipiendum eſt; quaſi rei priuatæ aſpectus impediat, quo minus prudens conſilium quis capere poſſit. Sic eſt Princeps auguſtiſſime.

Ψεύδεα κ' ἁρπαγμοὺς φιλοκερδὴς, κλέμματά θ' αἱρεῖ.

Semper auarus amat mendacia, furta, rapinas.

Et licet auarus conſiliarius non manu ſpoliat, furatur & rapit, cõſilio tamen hoc agit. Plutarchus Principem monet, auarum futurum eſſe perfidũ conſiliarium, iudicem irreligioſum, magiſtratũ quæſtui & munerib. obnoxium. De filijs Samuelis dicit ſacra ſcriptura: *Declinauerunt poſt auaritiã,*

acceperunt munera, peruerterunt iudicium. Vbi Gregorius: *Notandum*, monet, *quia ardor auaritiæ cauſa eſt accipiendorum munerum, & acceptio munerum cauſa eſt peruertendi iudicij.* Omnino igitur in concilio fugienda auaritia, & pecuniæ ſtudium vitandū eſt. Sic eſt, fugiendi, quos dixi, vnà cum cœteris malis & deteſtandis affectibus & hi affectus; fugiendi, inquam, ſunt & vitandi. Finiô hic & cum Friderico prudentiſſimo Imperatore dico: optime rempublicam adminiſtrari, ſi conſiliarij atq; ſenatores ante curiā odiū, inuidiam, ſimulationē, diſſimulationemq; deponerent, atq; ita eorū omnium quę aut inter ſe, aut cum alijs habent, quaſi obliti vt nihil aliud quam bonum publicum, & jd quod propoſitum eſt ad deliberandum cogitent, & perpendant in ſumma quadam morum grauitate, & animorum coniunctione.

Ad hunc de affectibus authoris ſermonem principis acclamatio, & eiuſdem ſententiæ adfirmatio.

Hæc cùm proloquutus eſſem, acclamabat princeps, &, ô ſententiam auream, inqt, & memoratu digniſſimam! dignam, quam omnes conſiliarij in concilium intrantes ſibi dictam putent. Hanc optumi Imperatoris optumam ſententiā, non ſolū conſiderent cōſiliarij, ſed & obediant. Peſſimorum conſiliorū reſpublicas perturbantium cauſa eſt pcipua, vt conſiliarij authoritate pollentes priuatis affectibus, odio, inuidia, cupidita-

ditate, auaritia, ambitione, & ſuperbia excæcati, priuata publicis, ſacris prophana non ſolum miſceant, ſed ẽt præferant. Si animi affectus in conſiliario malus eſt, ẽt in cõſiliis malus & peruerſus eſt conſiliarius. Vitiis & malis affectib. ægrotans animus ſemper & vbiq; errat, nec ꝙ videt peruidet. Nam licet ratio quadam parte bonum contemplatur, affectus tamen illud haud videt, ſed ratione potẽtior, quod imperat, lingua dictitat. Ex cænoſo, inquinato, & turbido fonte non aliã quam cœnoſam, quam inquinatam, quam turbidã aq̃ haurimus; & à cõſiliario malis & deteſtandis affectibus polluto, mala & deteſtanda conſilia accipimus. O malum reipublicæ peſsimum, ex priuatis & malis affectibus conſilium! Hoc audiant omnes conſiliarij; hoc credant omnes principes, & à talibus conſilijs caueant.

Deinde ad me; At tu mi Eluere, in oratione tua, inquit Princeps, & de conſiliorum fine & ſcopo, quem ſcilicet omnes conſiliarij ſibi præponere, ad quem vnice collimare debeant, perge. Tum ego; Rationis eſt agere, inquam, propter finem, & is eſt velut regula & iudicium, teſte Philoſopho, eorum, quæ pertractantur. *De conſiliorum fine & ſcopo, quem omnis bonus conſiliarius ſibi proponere debet.*

Hinc ſequitur, quod qui rerum agendarũ finem ignorat, eius adipiſcendi ſpes illi æque adem-

adempta ſit, vt ei ſcopum feriendi, qui telum incertus, quo iaculetur, emittit. Hæc conſiderans Seneca ad Lucilium ſcribens, *errant conſilia noſtra,* inquit, *quia non habent, quo dirigantur.* Dixi ſupra, ſereniſſime Princeps, de quinque conciliis q̃ magnus Princeps conſtituere debeat. Primum, vocaui concilium iuridicum: Secundum, religioſum conſiſtorium, itemq; concilium cenſorum, Tertium, q́ ærario & annonæ præficitur: Quartum, Militare: Quintum ſanctius, ſecretius & ſuperius concilium, quod cœterorum caput eſt. Cum igitur hæc quinque concilia muneribus, negotiis, conſiliariis, poteſtate & dignitate differentia eſſe volui, conſequens eſt, vt omnis conſiliarius in hunc finem omnia ſua conſilia, omnemque curam & operam eo dirigat, eo vnice collimet, vt ea curentur & ſeruentur, quæ cuiuis concilio commendata ſunt. In Iuridico Concilio quis eſt? Iuſtitiam ſecundum leges protegat. In concilio præfecto ærario quis ſedet? Principis reditus colligat, ſeruet, augeat. Et ſic conſequenter de cœteris conciliis eſt dicendum. De quibus hic non multus ſum, tum quia iam ſupra in loco de conciliis hæc attigi, tum quia de conſiliorum fine & ſcopo tantum generaliter hic ſermocinari mihi propoſui. Non ſecus ac imperator victoriam-

riam, non ſecus ac medicus ægrotantis ſanitatem, & tanquam gubernator portum, ſic conſiliarij in conſiliis ſuis Dei ter Opt. Maxumi honorem & gloriam, nec non Principis ſui & Reipublicæ vtilitatem & ſalutem ſibi propoſitam habeant; in eam rem tota mente, toto corde, toto animo, toto ingenio & iudicio, totiſque & virib. & ſtudijs incumbant. Duo Platonis præcepta mentis oculis aſpiciant, & animo teneant: *Vnum vt ciuium vtilitatem* (Tullij verbum eſt) *ſic tueantur: vt quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum, alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne cum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.* Repeto hic & dico: Eo vnice conſilijs ſuis ſpectent cõſiliarij, eo vnice cõſilijs ſuis colliment, quod ſcilicet Dei gloriæ, deinde, quod Reipublicæ & Principi conducat, quid communis ſalus, quidq; Reipublicæ tempora poſcant; Et hoc Claudij corde vibrent.

Nec tibi: nec tua te moueant, ſed publica vota.

Hic parum arridens Princeps, meque reſpiciens, & quæro ex te, inquit, An conſiliarius ſalutem & vtilitatem Principis magis, quam Reipublicæ aſpicere & curare debeat, an commodũ Reipub. magis quam Principis? Ego placide & *An conſiliarius ſalutem & vtilitatem principis magis, quam Reipublica aſpicere, & curare debeat,*

quadam reuerentia reſpondi; &magna hæc eſt quæſtio, inquam. Hic eſt ille ſcopulus, quem ſapientiſſimi conſiliarij, raro illæſis nauibus prætermiſerunt: Hæc illa ſcylla, hæc charybdis eſt, quæ multorum recta ingenia abſorpſit. Quam multi conſiliarij adhuc hodie natant & nutant in hoc mari, & timoris aſſentationiſq; fluctibus abripiuntur. Lubens verterem hic proram, & hac charybdi remouerē, nec adnauigarem hanc ſcyllam, ad quam plurimos conſiliarios traxerunt & pulſarunt gratiarum venti, duxerunt eoſdē adulationū & metus fluctus; horū periculis monitus, terrā potius mea cymbula legerē, nec alte nimis in hunc oceanū eam immitterē. Inter hæc verba interrupit Princeps, & ſermonē meum abrupit: Et largiori riſu, turbida de hac re, mihi eſt cogitatio, inquit, q̃ me iactat & arctat. Scio ſermonem tuum non abhorrere à veritate, haud à veritate errare, haud deflectere, haud deciſcere; Multū veri ſemper ille affert, adulationes Græculas odit, increpat, & tonat. O magna vis veritatis, q̃ cōtra omniū ingenia, calliditatē, ſolertiam, contraq; fictas hominum inſidias ſemper ſeipſam defendit? Syncerus ſum, ſyncero hoc pectore ſynceram ſententiam tuam ſynceritatis candidate ſyncere eloquere. Veritatem rimor; veritatem amo & colo; veritate delector; veritati ſtudeo; veritatē

curioſa cura curo: Hoc norunt, qui me nõ ignorant. Tu pro me eam & ne cũ alijs Principib. hunc errem errorem, Veritatem de hac re accipiam & in hoc pectus demittam, q̃ ſo pro me. Non longũ hic ſermonis interuallum faciens, alacrius erupi, & quia beneuolentiæ tuæ ventum mihi ſpirare video, libere, inquam, dicam; atq; iam ad veritatis portum appellemus. De publica ſalute, de cõmuni vtilitate & commodo loquor: Hanc ſalutẽ, hanc vtilitatem & commodum non tam Principis, quam Reip. intelligi volo. Reipub. ſalutem & commodum, præ Principis vtilitate ſpectandum & curandum ſtatuo. Atq; hæc ratio eſt: Ordinatione & vocatione diuina, Princeps Reipublicæ ſiue Populi ergo, non è cõtra Populus Principis eſt. Propter populum Princeps eſt, haud è contra, populus propter Principem.

Vt populus bene & fœliciter regatur Princeps eſt, non populus vt Princeps. Cum Princeps moritur, non moritur ſimul Populus: cum populus vero interit, Principem ſimul interire, neceſſum eſt. Sine populo nemo Princeps eſt; ſine Principe vero populus eſſe poteſt. Sic igitur eſto: Salutem & commodum publicũ non tam Principis, quam Reipublicæ intelligendum eſſe. Adde, ꝙ ipſe Princeps priuatam vtilitatem negligere

debeat, ſi cum publica, ſi cum Reipublicæ vtilitate pugnet. Remitto te princeps ſapientiſſime ad exemplum Moyſis, ad Exemplum Dauidis, amborum admirandorum & magnorum Prophetarũ & Principum, nec non ad exempla multorum pientiſſimorum & ſapientiſſimorum Principum aliorum. Ex illis exemplis, quod hic parce & breuiter indico, abunde & vberrime colliges. Illorum Principum veſtigijs omni Principi, omniq; Principis conſiliario inſiſtendum eſt. Scio ego, quod in aliquib. regnis, & Conſiliarij Reip. præfecti, & conſiliarij Principi ideo dati ſint, vt illi Reipublicæ ſalutem curæ habeant, iſti Principis vtilitati ſtudeant. O qui diſputant, altercantur & clamitant! ô quam multa iſti, qui Principis vtilitatem ſpectant, contra illos, qui Reipublicæ ſalutẽ curant, quã multa, inq̃ anxij anxie moliuntur. Reipublicæ ſæpe ruinam ex vtriuſque partis altercationibus & iurgijs obſeruaui. Ego non de illis, neq; de iſtis, ſed de meis conſiliarijs ſermocinor, quibus & Reipublicæ & principis ſalutem & vtilitatem commendo. Hi & Principis & Reipublicæ ſalutem quærant; hi vna cum ipſo Principe priuatam vtilitatem negligant, cum publica pugnantem. Reipublicæ igitur & Principis ſalus, Reipublicæ & Principis vtilitas & commodum

con-

conſiliariis meis eſto ſcopus & finis, ad quem cõſiliis ſuis vnice tendant, colliment & iaculentur. Et licet vnius rei plures fines eſſe ſoleant: vt ecce Architecti finis eſt domus & commodum: medici finis ægrotantis ſanitas, & lucrum: pictoris eſt pingere imaginem, & quæſtus; ſic conſiliarij quoque ſcopus forſan erit vtilitas, quæſtus, lucrũ & ambitio, principaliſſimus & veriſsimus autem finis eſt, Bonum publicum, ſalus publica, commodum publicum. Quæſtus & lucrum non eſt finis architecti, non eſt finis medici, non eſt finis pictoris, quatenus artifices, ſed quatenus mercenarij: Sic etiam de lucro & quæſtu conſiliarij eſt dicendum.

In hiſce porro conſultationib. & conſilijs, in quibus Dei gloriam & honorem, Reipublicæ & Principis vtilitatem & ſalutem cõſiliarii ſibi propoſitam habent, non obliuiſcantur honeſtum. *Quicquid* enim *non honeſtum, id nec vtile dicendum eſt.* Sint media, quibus ad ſcopum venire volunt, legitima, ſint poſsibilia, nõ ſint periculoſa, nõ ſint temeraria, non ſint turpia. Commodũ & vtilitatẽ Reipublicæ & Principis q̃ quærunt honeſtatem coniunctam habeat. Vt ædium inferiores partes firmiſsimas eſſe oportet: ſic etiam actionum initia & fundamenta ſolida, iuſta & honeſta eſſe

In conſiliis non obliuiſci debent conſiliarii honeſtũ.

conuenit. Sic volo, cōmodum Reipublicæ conſiliis ſuis rimentur conſiliarii, commodum, inq̃, quod & vtile eſt, quod & honeſtum eſt, quod & non turpe eſt. Abrupit hic ſermonis mei filum Princeps, atque licet ad voluptatem & ſaturitatem, inquit, de eis, quæ conſiliariis in conſultatione obſeruanda ſunt, ſermocinatus es, Eluere, Pro clauſula tamen huius rei quæro:

Nunquid conſiliarius non vocatus in concilium venire, & vtrum non requiſitus conſiliũ principi afferre debeat; Atque an in concilium venire debeat, cum ſcit aliquid tractatum iri, cui ſalua conſcientia aſſentiri nequeat?

Numquid conſiliarius non vocatus in concilium venire, & vtrum nō requiſitus conſilium Principi afferre debeat? Atq; an in concilium venire debeat, cum ſcit aliq̃d tractatum iri, cui ſalua conſcientia aſſentiri nequeat: Has quæſo, ait, Princeps, quęſtiunculas ſolue; dein orationis tuę vela ad vltimas diſſertationis tuæ partes verte. Egò, hodie, ſereniſſime princeps, reſpondi, vbique in magnorum Principum aulis certa & diſtincta concilia, certis in locis, & certo tempore ſunt conſtituta, & conſiliarius iureiurando, præſcripto tempore & loco, concilium, in quod introductus eſt, adire obligatus eſt, licet non vocatus; non vocatus, itaq; in tale concilium eat. Si vero in alicuius Principis aula hæc conſuetudo forte in vſu, vt ad vnumquemq; conuentũ vocandi ſint conſiliarij, in tale concilium, conſiliarius niſi vocatus, eat: Obſeruet illud Prouerbium: *Ad conſilium non acceſſeris, antequam voceris*. Leuis enim & curioſus eſt,

qui non rogatus in conſilium ſeſe ingerit; ſpeciem habet arrogantiæ & præſumptionis prudentiam ſuam Principis & cæterorum conſiliariorum prudentiæ anteferre; atque odioſum eſt, roſtrum ſuum vbique immiſcere: quare non requiſitus ſententiam ſuam, haud afferat. Hæc omnia tamen cum prudentia ſunt intelligenda: quippe quoties imminens periculum, ſiue coniurationem aduerſus principem ſiue Rempublicam conſiliarius intellexerit, monere Principem & Rempub. de periculo, & quomodo ille ſaluus & iſta ſalua maneat conſulere debet. Hoc namq; vult iuramentum conſiliarij, q; Principi pręſtitit, in quo damna Principis flectere & præcauere, nec non imminentibus periculis Principem admonere, ſancte promiſit. Nunquid alij cuiuis hero ſiue domino placeat, ſi famulus ſiue ſeruus nō rogatus ab occulto imminentique damno & infortunio dominum admoneat? Eos qui capitalia pericula Principis capiti imminētia inſpexerint: Eos, qui coniurationis aduerſus Principem & rempublicam initæ conſilia ſenſerint, niſi patefecerint, legibus reos Maieſtatis habeo, & cum Antimachiauello dico; quos in familiaris amicitiæ iura Princeps extulit, quos arcanis ſermonibus & conſilijs adhibet, qui principis miniſterio

præter

præter cœteros ſubditos fidem obſtrictam habent, nonne hoſtes & proditores iudicandi ſunt, ſi ea reticent, quæ ad ipſius proprie curam & prouidentiam pertinent? Idcirco prudens & fidelis conſiliarius aperit principi quæcunque vel à magiſtratibus in Rempublicam, vel à priuatis peccantur, vt admonitus iis mature proſpiciat. Exſpectare enim donec Princeps de iis quæ neſcit, nec ſcire niſi à te poteſt, ſermonem iniiciat, vanum eſt. Qui vero poteſt, multis ac variis curis diſtentus ſcire omnia? Tantum ſcit & curat, quantum ijs videtur, quorum in poteſtate ſunt aditus principis. Quod ſi libertas iſta adimatur conſiliariis, idque prohibeatur, ne quiſquam vllum conſilium det, niſi principe rogitante: inſcio Principe, vt Diocletianus de ſe ipſo dicere ſolitus erat: Bonus, cautus, optimus venditur princeps. Poſtulante porro neceſſitate etiam non rogatus de alijs magni momenti rebus Principem meus conſiliarius admoneat.

At audiat ille, & ſibi dictum, & iniunctum putet, vt in hac re ſummam prudentiam, iudicium & diſcretionem adhibeat; omnes & ſingulas circumſtantias conſideret; an tempus, locus, permittat animo perpēdat; ne inoportunus veniat, bene præuideat; quā plurimum inter ad-

mo-

monitionem oportunam & admonitionem importunam intereſſe intelligat. De hoc conſilio magni Principis magnus aliquis & expertus conſiliarius ita (vt memini) ſcribit: Conſiliarius, inquit, prius diligentiſſime & diu multumq; ſecum rem proponendam examinarit, ne fallatur, quod ridiculum eſſet: deinde etiam omnes circũſtantias, An antea ſimili de cauſa cũ Principe loquutus ſit, an tempus, locus & rerum ſtatus id requirant, an res opportuniꝰ differri poſſit, an ipſemet Conſiliarius principi gratus & acceptus ſit: an per alium id commodius fieri poſſe exiſtimet: an alij tale quid tentarint, & quo ſucceſſu. Ad obiectiones aũt dupliciter reſpondet: primo non eſſe curioſitatem, ſed vigilantiam, ſi quis debita moderatione ea inueſtiget & proponat, quæ ſui officij ſunt. Deinde quamuis Princeps à Conſiliario conſilium non petat; id tamen Remp. facere, quę neceſſitate vrgetur, & eo ipſo ſatis interpellat, ſubſidiumque Principis loco poſtulat. Dignum eſt, vt hic referam, q̃ Tacitus in annalibus meminit: *Licebat*, inquit, *patribus quoties ius dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent expromere, relationemq; in ea poſtulare.* Et Alexander ab Alex. ſcriptis teſtatur: licuiſſe ſenatoribus, priuſquam ordine ſententiæ rogarentur, poſtulare, vt extra ordinem de repu-

blica dicerent. His â me dictis: acrius Principem intuens, & ad vltimam tuam quæſtionem, inq̃, An ſcilicet conſiliarius in concilium venire debeat, quando nouerit iſtiusmodi conſilia tractatum iri, q̃bus ſalua conſcientia aſſentiri nequeat: ſic breuiter reſpondeo: Vti boni ſenatoris, aſſeuerante Tullio, vti boni, inquam, ſenatoris eſt, ſemper in ſenatum venire; ita quoq; boni conſiliarij eſt, ſemper in concilium venire, nec ſubterfugia ſiue diuerticula quærere. Imitetur conſiliarius meus fortem militem, qui nequaq̃ ob terriculamenta & pericula certamen detrectat. Illius & iſtius virtus maxime rebus in arduis conſpicitur. Verus & fortis miles, verus quoque & fortis conſiliarius non cedit infortunio, non fugit periculum, omnia ad mun⁹ ſuum pertinentia prouidet, conſiderat & ſuſcipit. Dignior habendus & ſeruandus eſt amor patriæ, quâ metus Principis, quam metus collegarum, quam metus gratiæ. Quid conſcientiam prętendant, conſiliarij? ô miſerum talem prętendentem.

O mollem, timidum & tremulum! Quicquid proponatur contra ſiue pietatem & religionem, ſiue contra Reipublicæ ſalutẽ, ſiue contra honeſtatem, id conſiliarius, ſi pius eſt, ſi fidelis & ſyncerus eſt, è ſacris literis allatis argumentis,

&

& ex ſana mente petitis rationibus refellit, & refutat. Vtinam hoc in caſu Hieronem meus imitetur Princeps, dicere ſolitum: Neminem ſibi importunum eſſe, qui libere loqueretur: Atque ad exemplum Theodoſij idem faceret, qui facilius ferebat arguentem, quam adulantem. Sic eſt, contra impietatem & turpitudinem os ſuum aperiat meus conſiliarius, os, inquam, aperiat, haud taceat, impietatem cum iudicio oppugnet, & inhoneſto obloquatur, nec iram principis timeat, ſed magis iudicium & vindictam Dei horreat. Neque deſperet, forſan Hieronem & Theodoſium habebit Principem, & certe Deum veritatem veritatis amantem, ſuum ſeruatorem potentem & benignum remunerantem.

Dum hæc proloquerer, voluntate, voce, lingua, geſtuque ad reliquum orationis filum compoſitis, ecce columbam, in caſulam noſtram, vbi Conſorite fecimus, columbam, inquam in caſulam volantem, quam auidus miluus rapide ſequebatur.

Interrumpit de conſiliariis ſermonē fugiens miluum columba, vbi collocutoribus de omniū rerū creatarum lite philoſophandi anſa datur.

Columba miluum magis quam homines timens, ſeſe in menſulā demiſit, miluus vero nos horrens, columbā relinquēs, viam p quam venerat, reuertebat, & ante feneſtram foris tremulam columbam quaſi futuram prędam, tanq̃ eſuriens

lupus hians expectabat. Porrexit manum Princeps, & trepidam columbam, ab homine ſe capi, quam à rapido miluo deuorari malentem, admirans prændit. Hæc videns, mihi in memoriam reuocaui, ꝙ in peregrinatione Anglica, in rheda vectus, dirum accipitrem campeſtrem alaudam vehementer appetentem, & velociter p aerem inſequentem vidiſſem; vbi tandem pauida alauda ſub rheda mea ſeſe abſcondidit, & accipitrem altũ in aere tremulis alis ſe ſuſtentantem, & in ſe (alaudam) attendentem aduertens, hominis miſericordię fidens, non timuit manus meas, ſed à me ſe præhendi; ſub rheda morata eſt. Cœpi eam ego, iter continuaui, tandem cucullatam illam alaudam in aerem miſi, & libertati reddidi, cũ tremula & hymniſona voce euolantem. Recitaui quoq; Principi captiuæ columbæ abblandienti hiſtoriolam, q̃ Scaliger pater (ni fallor) de quodã paſſere deſcribit, qui præ nimio fugantis & inſequentis accipitris timore & metu, in ruricolæ terram arantis ſinum ſeſe receperit, ſeque à diri accipitris ſęuitia vindicauerit.

Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
Audet in humanos feſſa venire ſinus.

Hac hiſtoriola à me narrata, ita Sereniſſimus Princeps philoſophari infit & dicit: Nullum.

lum animal ab inimico & perſequutore liberum eſſe: vnum genus, aliud diſpar exagitare & perſequi. Canem inſequi leporem: Lupum ouem: vulpeculam gallinas. Coruos, miluos & accipitres quærere & deuorare columbas, pullos, & minores auiculas. Baſiliſcum omnia animantia, imo & angues ſibilo territare, aduentu fugare, viſu perimere. Leonem â galli cantu terreri. Mirabiles aranearum inſidias eſſe, & vigilantiſſimas intentiones, & retium fallacias. Feram â fera, auē ab aue, piſcem à piſce, vermem à verme, muſcam â muſca capi, rodi, & deuorari: ita vt maiora animalia minorum non ſolum perſequutio & pernicies, ſed & ſepulchrum dici poſſint, & minora maiorum præda & eſca. Merito itaq; (ſic pergebat optimus & ſapientiſſimus Princeps) Franciſcus Petrarcha orator & Philoſophus ſummus amplíſſimam orationem habuit, qua demonſtrat & probat: veriſsimum eſſe illud Heracliti: omnia ſecundum litem fieri: & ſic eſſe vniuerſa teſtari: ſi elementa reſpicimus, eadem confligere: Si ſtellas, virtutibus certare. Belligerare ventos, nubes & fluct⁹ maris. Tempora temporib. certare: Inter herbas bellū eſſe: Imbres bella furere: cū magnete adamantem certare: magnetem ferrum trahere, adhibita adamāte trahere deſinere. In omnib.

rebus quæ ſunt in cœlo, q̃ ſunt in terra, in mari, in ſummo æthere, in fundo pelagi, in imis terræ hiatib. in ſyluis, in agris, in arenarum deſertis, in vrbibus, litem æternam eſſe. Inter æthereos ſpiritus, in ipſa cœli arce pugnatum eſſe In illo cœleſti congreſſu victos Angelos, victoribus ſuis impares, factos iam in nos mortales terræ accolas vlciſci ſtudere. Hominem porro continua lite agi & peragi, non modo cum alijs, ſed maxime ſecum. In ipſo amore litem haud ceſſare: in amore cœlum eſſe: In coniugio ſuſpiciones, querelas, multa ſuſpiria, multi dolores. Fratrum pacē, fratrū gratiam raram eſſe. Inter Dominum & ſeruū inimicitiam: & inter patrem & filium indignationem eſſe; filios quos parentes bonos cupiunt, malos lugere. Opinionum & confuſionum plena omnia. Inter philoſophos, nec non inter Theologos, interq; artifices diſſenſiones, iurgia, lites, in populoſa ciuitate vix duos reperiri concordes: alium ſtruere, alium diruere: Teſtari hoc mutatas ſæpius feneſtras, obtuſa oſtia, palamq; vetuſtis in parietibus indicare nouas cicatrices. Ducum in ordinanda acie, magiſtratuum in ferendis legib. nautarum in capiendis conſilijs diſparitatem & diſcordiam. Scriptores cum membranis, cum papyro, cum calamis & atramento bellare. Fabros

cum

çum malleis,cum forcipibus,cum incude;aratores cum ſtiua, cum vomere,ipſiſq; cum glebis,& cum bobus bubulcos belligerare. Iuuenibus litem cum voluptatibus:affectuumq; colliſionem eſſe. Matres cum filiolis, & viri cum paupertate & ambitione multum litigij & luctantiæ habere. Nec tantum in ſuperficie,iſta ſcilicet corpora humana, ſed & in intimis animæ penetralibus & contra ſe ipſum hominem aſſidue pugnare. Corpus contrarijs æſtuare & turbari humoribus: animum diuerſis & aduerſis ſecum pugnare affectibus, vario & reciproco mentis impulſu, modo huc rapi,modo illuc.Hominem nuſquam totum, nuſquá vnũ eſſe, ſed ſecum diſſentire & diſcrepare: En tibi:velle, nolle:amare,odiſſe:blandiri, minari;arridere,fallere:iocari, flere: miſereri,iraſci,placare:labi,deiici,attolli:titubare,ſubſiſtere:progredi,reuerti:inchoare,finire:dubitare; errare,falli,neſcire;obliuiſci,meminiſſe:inuidere, contemnere: ſperare,cupere:gaudere,metuere,dolere.Et id genus alia.

Ex quibus videre,quod æterni flatus animum exagitent,& vſque ad exitum fluctuet vita mortalis. De hiſce omnibus & ſingulis rebus longo & eleganti ſermone diſſerit Petrarcha ſupradicta oratione, & ſtatuit: quandam litem eſſe mortalium

lium vitam: & quæ viciſsitudo dicitur, pugnam eſſe. Naturam parentem ſine lite & offenſione nil genuiſſe; quæ vberrime apud citatum authorem, mi Eluere legere poteris. Nunc ad reliquam tuæ orationis partem te, quæſo, verte; & quomodo Princeps conſilia amplecti debeat, narrare perge. Ego haud diu, quod eloquerer, penſitans, caput erexi, & ſic dicere orſus: Satis puto Celſiſſime & literatiſsime princeps, ſatis puto de documentis ad bene ſalubriterq; cõſulendum conſiliarijs dandis, nos loquutos eſſe.

Quomodo princeps conſilia amplecti: ſeque erga conſiliarios gerere debeat?

Reſtat, vt nunc nonnihil de Principe agamus, & ſententiam noſtram de eo, quomodo ſcilicet ille conſilia amplecti: ſeque erga conſiliarios gerere debeat, annectamus. Hoc propoſitæ orationis ſeries ſerio ſuadet. Non ſufficit namq; recte conſulere, niſi & Princeps recta conſilia amplectatur.

Sapientis principis eſt, inter varia conſilia, quod optimum eſt, diſcernere, eligere, atq; exequi.

Ad rem conſulere ſapientis eſt, & ſapientiſſimi eſt inter varia conſilia, quod optimum ſit, diſcernere, eligere, & exequi. *Sæpe audiui*, ait Liuius, *eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quod ad rem ſit, ſecundum eum, qui bene monenti obediat. qui neque ipſe conſulere, neque alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenii. Nobis quia prima animi ingeniique ſors negata eſt, ſecundam & mediam teneamus, & dum imperare*

rare diſcimus, parere prudenti, in animum inducamus. Et Cicero, *ſapientiſſimum eſſe dicunt*, inquit, *eum cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem; proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet.*

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ·
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

Laudatiſſimus eſt, ipſus qui cuncta videbit:
Sed laudandus & is, qui paret recta monenti.

Non cogitet, neque exiſtimet princeps, ob petita à conſiliarijs conſilia, maieſtati, dignitati, ſiue abſolutæ poteſtati ſuæ aliquid derogatum iri: In hunc finem enim haud conſultat princeps & illorum conſilia & ſententias exquirit, quaſi eorum cõſilijs ſtare debeat, & ipſorum ſententias exequi obligatus ſit: Næ ſuprema & abſoluta poteſtas & maieſtas huic rei haud eſt alligata: Sed vt, multorum fidelium, prudentum & ſapientum virorum examine, quæſitis rebus expenſis, quæq; incerta, quæq; dubia & ambigua ſunt certius reſoluat, & fœlicius in reipublicæ ſalutem eligat.

Ob petita à conſiliariis conſilia, non derogatur principis maieſtati ſiue abſoluta poteſtati.

Quare in conſultatione ſaniorem ſentẽtiam, non eam quæ à pluribus dicitur, meus Princeps ſequatur: Neque in conſiliariorum eloquentiã, qua in dicendis ſententijs vtuntur, intendat animũ ſed in rationem: quemadmodũ ægrotus

Sanior conſiliariorum ſententia, non ea qua à pluribus dicitur.

à principe eligenda eſt. Nec in eloquentiã eſt intendendum, ſed in rationem. Neq; ea quæ grata, ſed ſalutaria excerpat princeps. Quibus conſultationibus præcipue adſit princeps.

non eloquentem, ſed ſalutarem Medicum videre & audire geſtit; ita in curatione ægrotæ Reipublicæ non q̃ grata, ſed quæ ſalutaria ſunt, ex publicæ ſalutis fonte, petat Princeps, Concilio.

Supra dixi, ob varia, diuerſa & multiplicia, imo innumera ferme negotia à Principe conſtituenda eſſe diuerſa concilia, ſuperiora & inferiora, ſecretiora & minus ſecretiora. Cum igitur princeps omnibus concilijs & conſultationibus adeſſe nequit, in ſecretius, ſuperius illud concilium, quod cæterorum omnium caput dixi, illud, inquam, concilium, in quo ad ſummam Reip. & ipſum ſtatũ pertinentia ꝓponuntur Princeps ingredi, & omnib. in eo conſultationibus & deliberationib. adeſſe debet. Reliqua inferiora & minus principaliora concilia, quoties in ſecretiori & ſuperiori concilio haud occupatus eſt, modo vnum, modo alterum adeat, neq; illa negligat.

Nil minimũ principi videri debet, quod ad Rempublicam ſpectat.

Omnes politici hoc dicunt, hoc clamitant: Nil minimum videri debere, quod ad Rempublicam ſpectat. Quotidiana experientia habemus, negligentia, & incuria patris familias paucas tegulas non reficientis, totas ædes corrumpi & perdi. Saxum & lapidem, antequam è ſublimi cadat, facile retinebis, poſtquam vero manumittis, præceps ruit, nec amplius eum ſiſtere potes:

Sic

Sic neglectæ res minoris momenti, ſi Rempub. ſpectant, quibus facile occurrere potes, cum neglectæ vires ſumunt, triſtes ſæpe effectus nanciſcuntur. Quapropter iſtiuſmodi negotia quæ præ magnis parua videntur, & in inferioribus concilijs tractantur, à principe etiam audiri, tractari, & curari debent. Hoc, vti monui, ita intelligendum eſt, quando ſcilicet princeps à ſecretiori concilio abeſſe poteſt; vel quando in inferioribus concilijs, etiam ſummi momenti aliquid occurrit, quod omnino Principis præſentiam requirit: Si vero adeſſe non poterit, ab vno ſiue altero Conſiliario principi quæſtio referenda eſt. Eſt magna & ingens vtilitas ex Principis p̄ſentia: quippe cum ipſe Princeps conſiliarijs ſæpius adeſt, minus improbi & corrupti, minus procaces & pertinaces illi erunt: præſentia Principis mali conſiliarij, quod cupiunt haud audebunt: diſcordiæ & factiones eius præſentia impediuntur. Siquidem hæc non infima Principis cura eſſe debeat, vt conſiliarii fraterna concordia inter ſe iungantur. Factiones namque inter conſiliarios exitiales eſſe ſolent. Boni Conſiliarij diligentius Principe præſente, melius & fidelius negotia diſcutient, & integritatis, induſtriæ & fidelitatis ſpecimen exhibebunt.

Principis præſentia quid proſit conſiliariis.

De Turcarũ Imperatoribus hiſtorici narrant, eos in proximo ſecretioris ſenatus habendi loco occulte conſiſtere, atq; ibi omnium Conſiliariorum ſententias audire, vt tamen adeſſe imperatorem, ẽt, cũ abeſt, cõſiliarij ſuſpicentur. Scio, Hoc multis Principibus Chriſtianis non diſplicuit, ita vt idem imitati ſint. Et licet hoc conſilium â multis politicis laudetur, ego tamen illud haud probo, qui velim, vt Princeps meus ſecretius cõcilium quotidie adeat, & omnibus deliberationibus & conſultationib. præſens adſit, ipſe cum cõſiliarijs ſuis colloquatur, rem ponderet, & penſitet, factioneſq; & rixas præſentia ſua impediat & auferat. Hoc ſuadet quoq; excellentiſſimus Orator Græcus Iſocrates: *Non aliorum conſilia*, inquit, *duntaxat ocioſè audienda ſunt, ſed ipſi quoq; Principes diligentiſſime de rebus cogitare debent.* Et conceſſo, quod Princeps experientia, literis & prudentia eminentes viros, & quid ſequendum & quid fugiendũ bene iudicantes conſiliarios habeat, attamen, cum nonnunq̃ accidat, vt ſapientiſsimi errore capiantur, & mẽtis caligine ſeducantur (ſiquidem humanum ſit errare & deuiare, & ſæpe contẽptus homuncio det cõſiliũ optimũ) neceſſum eſt, vt ipſe Princeps conſultationibus interſit, penſitet, ponderet, & cenſeat; ꝙ votũ ſequatur,

quod

quod mittat, & quam ſententiam eligat, aut quid ex multis conſilijs eligat, & in ſuumque publicumq; commodum vertat. *Sapientis eſt*, ſcribit Seneca, *examinare conſilia, & non cito facili credulitate ad falſa prolabi.* Sic eſt, Princeps Celſiſſime, omnium conſiliariorum vota audienda & â Principe examinanda ſunt.

Et vti ſupra iam monui, hic iterũ repeto & ſuadeo: danda eſt cuiuis conſiliario dicendi libertas. Quare æquo animo ferre debet Princeps, quæ libero ori iuſta videntur conſulenti. Accidit, vt ſi quid forte ab vno ſit omiſſum ſiue peccatum in ſententia, id ſecundus, tertius, quartus aut quintus conſiliarius emendet. Audax ille vocatur princeps, qui vt vnum amet, ſe reliquis exoſum facit. Imprudentis Principis eſt, vni præ reliquis auſcultare, & reliquos negligere: plus vident oculi, quam oculus, facilius vnus errat quam multi, quapropter non vnus tantum conſiliarius ſed omnes audiendi ſunt. Secundum rationem eſt, vt Princeps, qui multos regit, multos quoq; conſiliarios audiat. O peſſimum & monſtroſum Principem, ab vno tantum homine ſibi imperari patientem! Multi hodie Principes ad latus vnum habent, ad cuius nutum pleraque faciunt: ſi iſte malus, næ magnorum malorum quoque

Danda eſt à principe cuiuis conſiliario dicendi libertas. Vbi huius libertatis vtilitas. Neque vni præ reliquis credendũ & auſcultandum.

 cauſa.

cauſa eſt. Ego Principem non laudo, inquit Antimachiauellus, qui vnius tantum amici conſilio vtitur: & qui hoc fecere olim, male ſibi & rebus ſuis conſuluerunt. Neq; vero fieri poteſt: vt vnus tam accurate Reip. cauſas vel negotia inſpiciat atque expediat: neque difficultatibus ac periculis ita mature obuiam eat, quam plures conſociatis conſilijs & curis. Itaque non immerito ſapientiſſimus Rex Salomon conſilium ex pluribus conflatum comprobat. Hanc meam mentem quidam Germani dure & aperte, vere tamen indicant, cum dicunt: **Ein jeder Herr muß zween Narren haben/einen den er vexirt/vnd den andern/von dem er wider vexirt wirdt.** Talis Imperator Galba fuit, q trium arbitrio, Suetonio teſte, regebatur, vt vix ſibi ipſi conſtaret. O rem periculoſiſſimam, precario imperare. Hoc Alexander Seuerus intelligens, q̄ multis iniurijs, ſcilicet, & periculis obnoxium eſſe talem Principem, qui viribus & intento animo & ingenio conſilijs non intereſt, in corde & lingua ſæpe habuit eandem illā exclamationem, qua, concilia negligentum neq; eadem frequentantium principum miſeram conditionem deplorabat.

Periculoſiſſima Res eſt precario imperare.

Quis vero precario imperat? ſi me interrogas: qui nihil ex ſuo, reſpondeo, cum Fr. Patritio conſilio

ſilio deliberat, ſed ex alieno ſemper pendet,& ad omnem tenuiſſimi ſpiritus auram flectitur; vel paucis hominibus ſe credit, quorum arbitrio omnia permittit,adeo vt ex eorum Commentario Imperium gerat, reliquis autem neutiquam auſcultet. Hocquam ſit principi, Reique publicæ damnoſum, atq; periculoſum, tum ipſa ratio,tũ omnis æui quamplurima docent exempla. Illa, quia ſi princeps vni plus q̃ cæteris faueat,præterquam ꝙ ille alijs imperare volet; minus erunt liberæ conſultantium voces; metuentib⁹ alijs,ne ſi libere animi ſui ſententiam ꝓmant, in aliquo opinioni illius prædilecti aduerſentur, ꝙ ne accidat, ſummopere cauendum eſt. Deinde ſæpe accidit(vt vere animaduertit, notauitq; Cominæ⁹) vt prudentes etiam viri labantur, & errent in dicendis ſententiis, quando vel gratia, vel odio, vel æmulatione quadã impulſi diuerſum ab alijs dicunt. Sed & non ſemp ſunt eodẽ animi vigore. Quod ſi quis putet eos, qui ſic aberrãt & labunt̃, non eſſe Principũ adhibendos conſilijs; ille meminerit, neminem eſſe omnium hominum, qui non fallatur aliquando,atq;ex affectibus aliquid agat: deniq; in magno deliberantium numero hoc boni ineſt, qđ aliqui ſemper exſiſtunt,qui ꝙ ab aliis peccatum eſt, emendant, atque ſanant.

Non

Non ergo vnus vel pauci præ multis conſulendi. Et monet Iohan. Cochirius: Expedire inprimis Principi non ſolum conſiliis intereſſe, ſed etiam diiudicare debere, quæ recta, quæq; praua ſint conſilia, ne alioqui ſaxum illud videatur, quo veteres olim Romani Deo ſuo Termino figendo vtebantur. Hoc amplius, non oportere eum ſic affectibus indulgere, vt conſilium minus prudentis, conſilio prudentioris anteponat, vnumue aliquem ferat in oculis, alterum vero negligat. Nam qui vni præ cœteris auſcultat, videtur cœteros odiſſe, eſtq; mera ſeruitus regnantis impotens amor paucorum. In quo peccauit Ottho Jmperator qui prudentiſſimum Paulini conſilium contemnens, â quo ſtabant Marius Celſus, & A. Gallus, ambo militares viri, maluit fratris ſui Titiani, & Proculi Præfecti prætoriæ cohortis, hominum rei militaris expertium, conſilio auſcultare, non ſine ſuo, aliorumque grandi periculo. Scimus quidem, non eſſe noſtrum exiſtimare, quem ſupra cœteros, & quibus de cauſis Principes extollant, ſed hoc tantum volumus, ac vouemus, ne hactenus omnia huic vni concredant, vt minus conſilijs vacent, neue tantum illius ſententię tribuant, vt aliorum monita meliora contemnant.

Omnis

Omnis porro Princeps, in cuiuslibet conſiliarij mentem & ſententiam diligenter & prudenter intendat, adulatorum vota ex animo pellat: popiſmata palliatæ aſſentationis releget, nec palpũ ſibi obtrudi permittat. Magna hic prudentia & conſtantia opus eſt.

Princeps adulantium conſiliariorũ vota negligat & ex animo pelat.

Nihil eſt, quod credere de ſe
Non poſſit, cum laudatur Dis æqua poteſtas.

Sciat omnis Princeps aſſentari & placida loqui in concilio, teſte Demoſthene, Reip. perniciem maximam afferre. Sciat omnis Princeps, adulationem, monente Diogene, mellitum laqueum eſſe. Sciat demũ omnis Princeps, adulatorem, aſſeuerãte Plutarcho, patriæ & virtutis inimicum; docente Platone, ferã omni humano generi peſtilentem eſſe; quem coruo Epictetus comparat: hic enim demortuorum oculos, & ille viuorum mentes excæcat, perdit, deuorat. *Adulatorum*, inquit Hieronymus, *aſſentationes & noxia blandimenta fallaciæ velut quaſdam peſtes animæ, fuge. Nihil eſt, quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci, & molli vulnere animum feriat. Unde & quidam ſapiens ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. In multis, iſto maxime tempore, regnat hoc vitium, quodque eſt grauiſſimum, humilitatis, ac beneuolentiæ loco ducitur: eo fit, vt adulari*

qui neſcit, aut inuidus, aut ſuperbus putetur. Eſt ſane grande, & ſubtile artificium, laudare alterum in commendationem ſui, & decipiendo, animum ſibi obligare decepti: quodque hoc maxime vitio agi ſolet, fictas laudes certo pretio vendere. Hucvſq; ille. Athenienſes olim hæc omnia ꝓbe conſiderantes, legibus ſuis aſſentatores capitali ſupplicio mulctabāt. Bias dicebat, omnium ferorum animaliū ſæuiſſimū eſſe tyrannū, cicurum, adulatorem. Demoſthenes aſſerit, publicas oēs clades & ærumnas adulatorib. pæne tribuendas eſſe. Pythagoras aſſentatores eo modo ſe habere cū Principib. dixit, quo ꝑditę mulieres cum ſuis amatorib. quibus à Deo ſalutem, vitam, opes & alia omnia, p̃ter bonam mentē exoptant, ne ab illis deſerantur. M. Tullius, *ſic habendum eſt*, ait, *nullam in amicitiis peſtem eſſe maiorem, quā adulationem, blanditias, aſſentationem*; quam ēt eſcam & vitiorum omniū quaſi nutricē vocat. Q. Curtius ſcribit, adulationem eſſe perpetuum malum Regum, quorū opes ſæpiꝰ q̃ hoſtis euertit: quare certam perniciē imminere Principi, ꝗ mendacio magis ꝗ veritati, & adulationi potius q̃ admonitioni, aures patefacit. Dion auctor eſt, adulatorē, ꝗ veritatē corrumpit, eſſe peiorem eo, qui monetam adulterat. *Duo*, inquit S. Auguſtinus, *ſunt genera perſecutorum, ſcilicet vituperantium & adulantium:*

ſed

ſed plus perſequitur lingua adulatoris,q̃ manus perſequentis. Fugienda eſt, omni quidem homini, inq̄t Fricius,*ſed maxime viro Principi,conſuetudo adulatorũ: qui ipſi magno impedimento sũt, ne homo cognoſcat ſe ipſum.* Omnibus certe hominib. hoc vitium innatũ eſſe videtur, vt adulatorib. delectentur. Cum n.quiſq; amet ſeipſum,ſibiq;&tribuat ipſe,&ab alijs tribui velit, plus q̃ æquum ſit: fit ẽt,vt adulatorem tanquam ſuarum virtutum teſtem admittat, eiq; libenter aures patefaciat. Ex ignorantia igitur noſtri,& morũ leuitate,vitiũ hoc proficiſcitur. Nemo illi facile reſiſtet,niſi cognitione ſui,&amore veritatis. Qui n. nihil in ſermone atq; oratione, nihil in morib.ficti, fucati atq; fallacis amabit,is certe nec alijs adulabitur,&aliorum adulationes facile contemnet. Quod ſi homines priuati, qui adulatoribus delectantur, vituperandi; quanto magis viri Principes? quorum animi falſis opinionib. imbuti, in ꝓbroſa facile delabantur, monitores nõ ferant, peccati eos non pœniteat, veritate offendantur,vanitate orationis gaudeant Sed mores deprauati effecerunt,vt hoc vitiũ nõ alibi magis,atq;in aulis principũ regnet,adeo vt nemo bon⁹ aulic⁹ habeatur,niſi q̄ adulari, ad voluptatẽ aliorũ loq̄,multa ꝓ loco&tempore fingere ſciat. Ita, q̃ domus exẽpla virtutum ꝓbe-

re deberet plurima, ea labē hanc nefandā infert &ꝑnitioſam veritati. Quocirca vitiū hoc fugiendum eſt, veritas & prudentia amanda: qua ꝗ deſtituuntur, rerum potiti, miſcent & perturbant omnia: ipſiq; tandem cadunt maximo rerum humanarum malo. Audi princeps celſiſſime, ô vtinam omnes Principes audirent: vtinam me clamantem auſcultarent & aſſeuerantem: Principē, nimirum, totius Reipublicæ viuum eſſe fontem, qui ab adulatoribus & aſſentatoribus tam miſere & male inficitur, vt ex eo nil niſi corrupta putrida & venenata in omnia totius Reip. membra, quaſi per canales, aqua promanent. Memoratu porro, dignum eſt, quod de Tiberio ſcribitur, ꝙ ſcilicet ipſi adulatores faſtidioſi fuerint: *Memoriæ proditur*, ait Tacitus, *Tiberium quoties curia egrederetur, Græce in hunc modum eloqui ſolitum: O homines ad ſeruitutem paratos! ſcilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ ſeruientium patientiæ tædebat.* Hanc regulam ſibi quoque dictam putet conſiliarios ſuos conſulens Princeps:

Princeps non indignari debet, ſi male conſulta reſpondeant; nec conſultori iraſci.

Principem non indignari oportere, ſi male conſulta reſpondeant: ſiquidem *ille, qui conſilium dat, fidē præſtare haud euentum debet*. Sæpe n. optima conſilia male cadunt: & fit ſæpenumero

Conſilia vt habeant optima exitum malum.

Vide-

Videmus quoq; & experimur, mala prauaq; cōſilia præ bonis conſiliis proſpere nonnunquam euenire. Auctor & actor rerum Deus euentum & exitum in poteſtate habet. Deus conſulta diſponit, & quo vult, eadem dirigit.

> Ζεὺς δ᾽ ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε,
> Ὅππως κεν ἐθέλῃσιν:
>
> *Virtutem Deus in nobis auget, minuitque,*
> *Vt voluit.*
>
> *Sedet----Conditor altus*
> *Rerumque regens flectit habenas,*
> *Rex, & dominus, fons & origo,*
> *Lex, & ſapiens arbiter æqui.*

Conſilia noſtra ſibi fatum aptat. Vbi namque diuina prouidentia non commilitat conſiliis actionibuſq; hominum, malus, iis, teſte Nicephoro, exitus obuenit, & cogitationibus valde aduerſus. Nam tunc neque vir conſultus, conſult⁹ eſt; neq; fortis fortis; ſed & ſapientiſſima conſilia inſipienter deſinunt, & generoſa maxime ac fortia facta turpem & infamem exitum conſequuntur. Quare *ſapiens ad omnia*, teſte Seneca, *cum hac exceptione venit: ſi nihil inciderit, quod impediat.* Quapropter omnes ferme homines prudentiſſimorum virorum conſilia non ex fide, non ex rationibus, non ex rei veritate, ſed præpoſtere, ſtolide, & inique ex euentu diiudicant. Magnam

iniuriam (repeto & clamo) magnam iniuriam conſiliarijs fieri, quorum conſilia non ex ratione, ſed ex euentu iudicantur: quippe cum nonnunquam etiam praua conſilia fœlices ſucceſſus, & bona conſilia infœlices effectus habeant. O quam plurimos iniquos iudices! prout namque vel honeſta vel turpia conſilia cedũt, ita vel probantur & laudantur; vel arguuntur & repræhenduntur. Hoc peccatum nimis frequenter Principes quoq; peccare ſolent, vt ſcilicet, ſi male ceſſerit conſilium, vnice conſiliarium accuſent. Quare duram eſſe conditionem eorum ait Demoſthenes, qui in dandis conſilijs, & in gerendis rebus ſolent verſari; cum eorum fides ex euentu ſoleat æſtimari. Sapienter idem orator inquit: *Conſultores veſtros vt impoſtores, ſi quid aliter accidit accuſatis, neque conſideratis quærere & rationibus colligere optima quantum homo poteſt, valetque id noſtrum eſſe; efficiant iſta & ſuccedere fœliciter, id pluſimum in fortuna ſitum eſt.* Ita eſt, Sereniſſime Princeps, meliora non ſunt ſemper fœliciora. Licet male accidit, non minus tamen ſæpe bene conſultum eſt: quia fortuna conſilium ſuperauit.

Hanc ob cauſam prudens & ſapiens princeps ore & corde voluebit, quod ille hiſtoricus ait: *Res geſtas* inquiens, *taxare, cuiuis facillimum: at res*

egre-

egregias gerere, perdifficile, paucisque datum eſt. Votorum, porro, examen (ad quod alta & ſubtili prudentia opus eſt) tacitum & occultum eſſe debet, ex quo non poſſit agnoſci, quid Principi placeat aut diſpliceat; ſuam in conſilio ſuſpenſam teneat Princeps ſententiam; ſi enim ſubito applaudat primo ſiue ſecundo voto, & ſic ſubito huius vel illius ſententiam approbet, ſiue id fiat verbo, ſiue id fiat facto, ſiue aliquo ſigno, reliquos & pudefaciet, & deterrebit, ne in dandis conſilijs & promendis ſententijs ſuis poſthac ſint liberi, ſed eo ſententiam ſuam dirigant, quod Principis animo iam arriſiſſe intelligant; Cognita enim voluntate Principis, vix quiſpiam erit, qui contra eam diſſerere aut conſulere audet.

Conſiliariorum ſententiarum ſiue votorum examen in principe occultū eſſe, & ſuam in conſilio ſuſpenſam tenere debet ſententiā princeps.

Sic volo, princeps celſiſſime, vt Principis mens in colligendis votis nemini ſit cognita, omnium vero conſiliariorum ſententiæ Principi perſpectæ ſint: in illo enim periculum, in hoc commodum eſt.

Nec debet Princeps verbis tantum, ſed neque (vt dixi) ſigno ſententiam & mentem ſuam aperire, donec certum ei ſit conſulta exequi: *Silere* enim *non lingua*, vt Polybius ſcribit, *tantum oportet, ſed multo magis mente.*

Multi

Multi Principes ipſo aſpectu & vultu reuelarunt ſua ſecreta.

Multi ſermone tantum celantes, ipſo aſpectu, ipſo vultu reuelarunt ſua decreta. Vultus namque & frons, teſte Cicerone & experientia, animi ianua eſt, quæ ſignificat voluntatem abditam atque retruſam.

----Multa, ſed trepidus ſolet
Detegere, magna nolentem quoque
Conſilia produnt----

Huc referam quoque, quod hiſtorici de Domitio ſcribunt: *Litteris*, inquit Cœſar, *perlectis, Domitius diſſimulans in concilio pronunciat, Pompeium celeriter ſubſidio venturum, hortaturque eos, ne animo deficiant, quæque vſui ad defendendum oppidũ ſint, parent. Ipſe arcane cum paucis familiaribus ſuis colloquitur, conſiliumque fugæ capere inſtituit. Cum vultus Domitij cum oratione non conſentiret, atque omnia trepidantius, timidiusque ageret, quam ſuperioribus diebus conſueſſet, multumque cum ſuis conſultandi cauſa ſecreto præter conſuetudinem colloqueretur, concilia, conuentuſque hominum fugeret, res diutius tegi, diſſimularique non potuit.* Summe porro caueat & prouideat Princeps, vt ea, quę in concilio concluſa ſunt, maneant ſecreta. hoc fiet & conſiliariorum, & maxime Principis taciturnitate, quando ſcilicet ſententiam ſuam, & quid in animo concluſum habet, non eloquitur, ſed cælat. Hanc Principis concluſionem ſibi ipſe relin-

relinquere, & inſciis omnibus conſiliarijs, ſiue paucis conſiliarijs conſcijs, exequi poteſt, ſecundum hoc Vegetij: *Fieri quod debeat, cum multis tracta; quid facturus ſis, cum pauciſſimis, vel tecum.* Et licet prudentis Principis ſit, plures ſapientes amicos conſulere; ſi vero aliquid ſibi iuſtius & rectius iuſta & recta ratione videatur, haud tenetur conſiliariorum ſententias ſequi: (hoc enim Maieſtas requirit) nec obligatus eſt illis indicare, quid apud ſe concludat, neque illis manifeſtare, quid ſit facturus. His â me dictis, & ad reliqua cincta lingua, interrupit orationem Princeps, & bene, ſufficienterq; de hac re dixiſti, ad me ait;

At ſcrupulum adhuc in animo, de votis ſentio, quem mihi adimas, quęſo: nimirum, ponderanda conſiliariorum vota, an vero numeranda ſint? Ego adimam hunc ſcrupulum, reſpondi, ſi is vult, qui quod vult poteſt, adimam. Deinde conſilij nulla vis, inquam, p ſe eſt in quantitate. Cum in alijs rebus, quantitatis per ſe nulla ſit efficacia, quanto magis in conſultatione? Et cum in diſciplinis alijs Philoſophorum ſententias non numeramus, ſed ponderamus, magis multum in conſiliis, ſiue in diſciplina politica. Abſolute & per ſe dicendo, volo, vt Princeps meus conſiliariorum vota non numeret, ſed ponderet, & æſti-

An conſiliariorũ vota ſiue ſententia ponderanda, an vero numerãda ſint.

met. vincat apud eum, non prior, ſed melior ratio. Quorſum enim multitudo errantium? Ea ſimilis talorum iactibus, qui hoc potiores habentur, quo plures oculi in eis ſuperne apparent. *Habuerunt quondam*, vt ille refert, *inter ſe membra corporis humani ſermonem de ſole, lucidus ne ſit, an vero tenebricoſus: cumq; omnia ex ordine ſententias dicerent, tenebricoſum eſſe, ſoli oculi lucidum eſſe pronunciarunt. Ratio hominis, multitudine ſententiarum ab aliis membris dictarum reiecta, ſolis oculis ſubſcripſit, ac ſecundum illos pronunciauit. Perirata ſunt alia membra, quod ſua multorum ſententia, oculorum duorum ſententiæ poſthaberetur. Verum cum rogata, diſcrimen facere inter lucem & tenebras, niſi oculis ducibus, non poſſent: ceſſerunt ſententiæ oculorum & rationis iudicium approbarunt.* Hoc de concilio magni & abſoluti Principis intelligendum eſt. Cœteros ſtatus vti ariſtocraticum, democraticum & myxtos hic non tango, vbi conſilia ſiue vota ſæpe numeranda ſunt magis, quam ponderanda: quia ibi conſultores non tantum conſiliarij ſunt, ſed etiam ſenatores, ius concludendi habentes.

Conſiliarii & ſenatores ſunt differentes.

Differunt enim Conſiliarij & Senatores: Omnis enim ſenator quia conſilium dat, conſiliarius eſt; at omnis conſiliarius non eſt ſenator. Accidit nonnunquam vt conſiliarius quis eſt, & ſenator,

ſenator, tamen differunt conſiliarius & ſenator poteſtate & officio. Conſiliarius is tantũ eſt, quo Princeps vtitur in ſententia ſua dicenda de quæſtione ſiue re politica, quę eſt dubia: ſenator vero pſona eſt, quæ ad ſtatum pertinet publicum, habẽs partem maieſtatis in Repub. Hic ius concludendi habet, ille tantũ licentiam, ſententiam ſuã principi promendi, & veritatem ſuadendi. Multis politicis (ſcio) de conſultatione ſcribentibus, in promiſcuo ſunt, ſtatꝰ, ordines, ſenatores, conſiliarij, & iudices; at prudentius agerent, ſi officia diſtinguerent.

Hæc cum reſpondiſſem, iterum quærit Princeps, &, Nunquid conſilia ſemel concepta & cõcluſa, inquit, mutãda ſint? Ego in conſilijs & conſultationibꝰ, reſpondi, requiro conſtantiã. *Turpis & fœda illa vacillatio ſententiam mutantium, & certum ſignum non certæ mentis eſt*, ſcribit Lipſius: idque cum ſingulis conſiliarijs, tum magis in concilijs Principi vitandum. Ne audiat illud quod Carolus V. Imperator facete coniicere in Germanorum conuentus ſolitus eſt. Quos aſſimilabat viperis: quia, (aiebat) *vt iſtæ matres ſuas tollunt; ſic illorum poſteriora decreta priora.* Quare in concilijs & decretis merito requiro conſtantiam.

Nunquid conſilia ſemel concepta & conclusa ſint mutanda

Mm 2 Conſtan-

Conſtantiam aduoco, pertinatiam fugo. pertinatia ſtultitiæ obnoxia eſt. Semel pro Reipublicæ ſalute decreta, ſemel conſtituta haud temere in controuerſiam voc nda, haud leuiter mutanda. Haud temere haud leuiter dico. Si namque vſus, reipublicæ ſumma vtilitas & ſalus poſtulat flectenda ſunt, mutanda ſunt & tollenda. Satius eſt in melius ſapienter mutare, quam male cœpta pertinaciter continuare. Conſultius eſt, bis currere, quam male currere. Sapientis & prudentis eſt conſilia noua pro rebus nouis, & vbi priora in proſpera, flectere, mutare atque ad euentus & tempora accommodare. *Oportet*, vt plato ait, *tanquam in talorum iactu, ad id quod cecidit res ſuas aptare, quocunque modo ratio id optimum eſſe dixerit, non autem, quaſi pueros, ipſos quoque cadentes, firmiter eam rem tenere in quam impegeris, & clamando quiritandoque tempus conſumere.* En tibi medicum, non ille ſemper propinat ęgrotanti medicamentum, quod primum deſtinauerat: Ad temporis & ęgroti valetudinis mutationem poculum mutat & variat. En tibi quoque nautam; non ſemper ille curſum tenet, quem primum cœpit, ſed prout venti ſpirant, curſum mutat & velificationem aptat. Sic omnis quoque Princeps faciat, non idem ſemper agat, quod primum facere ſecum

ſtatuit,

ſtatuit,ſed q́d oportunitas, reip. ſalus & vtilitas ſuadet & requirit, peragat. Hanc conſilij mutationem nemo ſapiens inconſtantiā dixerit: quippe cum ſententiam ſuam ad reipublicæ ſalutem mutare, non modo laudabile ſit, ſed & Reipublicæ vtile & ſalutare. Quis eſt, qui ſententiam ſuam quandoq; non mutat? Solus ille Deus eſt.

De conſiliorum fine, quem conſiliarij ſibi propoſitum habere debent ſupra iam dixi, hic nunc demum de fine conſultationis, quem ſibi princeps proponere debet, ad quem princeps cōcluſione ſua & ſententia collimat, verba facienda ſunt: qui itidem ille eſt, quem conſiliarij vnice ſpectare debent: Hic eſt, Dei Optimi Maximi honos & gloria; deindè Bonum publicum: *Salutem* namque *Reipublicæ*, docente Paulo Iuriſconſulto, *tueri nulli magis conuenit, quam Principi. Decet quidem cunctos*, ait Caſſiodorus, *patriæ ſuæ augmenta cogitare, ſed eos maxime quos Reſp. ſibi ſummis honorib, obligauit. Quia rectum eſt, vt eum neceſſe ſit plus debere, qui viſus eſt maiora ſuſcipere. Qui Reipublicæ*, inquit Plato, *præfuturi ſunt, duo præcepta teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, vt totum corpus Reip. curent, ne cum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant: Vt enim tutela, ſic procuratio Reip.*

De fine & ſcopo quē in conſultationib. ſibi princeps proponere debeat.

ad eorum vtilitatem qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Hanc ſententiam optimus imperator Hadrianus ſecutus eſt & p̃ſtitit, atq; alijs egregie commendauit: In concione ſæpe dixit: ita ſe remp. geſturum, vt ſciret populi rē eſſe, non propriam. O vocem auream, dignam quam omnis Princeps in regiæ ſuæ veſtibulo aureis literis ſcribat. Sic eſt, Princeps Celſiſſime, ſumme curanda à Principe gloria Dei eſt, nec nō ſalus publica, & vtilitas publica, quam etiam priuato cōmodo omnis bonus princeps anteponit & p̃fert, quoties ſcilicet, priuata Principis vtilitas cū publica vtilitate pugnat. *Cum conſulis populo,* ait Claudius, *remoue à te ſuſpicionem alicuius commodi: fac fidem, te nihil niſi populi vtilitatem & fructum quærere.*

Tu ciuem, patremque geres, tu conſule cunctis,
Non tibi: nec tua te moueant, ſed publica damna.

Summe igitur & vnice in colligendis conſiliariorum votis, & ipſorum ſententijs ponderandis ſpectet Princeps poſt gloriam Dei Reipublicæ bonū, honeſtate coniunctum. Hæc mea eſt breuiſſima & veriſsima ſententia, quod ſcilicet omnis bonus Princeps, omnis verus ſynceruſq; patriæ pater in cōſilijs magis populi, quam propriā vtilitatem & ſalutem ſpectare, quærere & curare debeat. Peruolue ſacrum veteris Teſtamenti codicem,

dicem; & idem quod dico, ſanctiſſimi reipublicæ Iſraeliticæ rectores ſiue reges exemplis ſuis docebunt. De hac re, antequā vlterius ſermone progredior, Fricium ſic ſcribentem audiamus! *Sciant Reges*, inquit ille, *ſe populi cauſa, non populum propter ipſos eſſe conſtitutum.* O quanta vis eſt huius orationis, ſi in intimos animi ſenſus ab eo qui imperet recipiatur. Qui enim Princeps ſua cauſa putat eſſe populi multitudinem, hic fieri non poteſt quin abutatur & populo ipſo, & rebus eius omnibus.

Facile eſt hoc videre in multis, qui ſoliciti nihil ſunt de rebus hominum ſibi ſubiectorum; qui vt cupiditates expleant ſuas, & populum expilare, & grauibus oneribus premere & commoda eorum auferre, & ea quæ ex fundis in quibus viuunt corrogarunt, alias in terras transferre, & quæcunque ſibi libent, ea perpetrare non dubitent. At Princeps qui cum animo ſuo conſtitutum habet: ſe populo ipſius cauſa præeſſe, hic nihil ſuum, omnia Reipub. eſſe putabit: eaque quæ omnium ſint, ex dignitate & vtilitate Reip. procurabit. Hic ob ſua emolumenta cupidius nihil aget hic bonū ſuū à bono populi nunquam ſegregabit. hic gloriam, honorē & fœlicitatē ſuam omnē in populi beata vita collocabit.

Quod

Quod ſic à Cicerone eſt ſcriptum per quam luculente. *Vt gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria, ſic moderatori Reip. beata ciuium vita propoſita eſſe debet: vt gloria ampla, copiis locuples, virtute honeſta eſſe poſſit: huius enim operis maximi inter homines atq; pulcherrimi, illum eſſe perfectorem volo.* Eſt igitur hoc munus virorũ principum, ciuium negotia omnia cognoſcere: curas, labores, moleſtias, diſſidia, cõtentiones, ſimultates, egeſtates, pericula belli, rerum deniq; omnium pondus ſuſtinere: ac in his omnibus ſaluti & commodis Reip. prorſus incumbere: commoditates proprias nunquam ita procurare, quin eas publicis adnumerent. Semper enim in bono communi reperient & ſuum. Quod ſi hoc ab illo ſegregare contendant, næ illi Reip. prædones erunt, non cuſtodes: euerſores, non rectores. Certum eſt hoc.

Hoc vita, hoc actiones teſtantur iſtorum omnium ſeu regum, ſeu regulorum, ſeu quorumuis præſidum, qui non ſe propter ſubditos, ſed ſubditos ſua ipſorum cauſa factos, creatos, & in hanc lucem editos arbitrantur. Tantum valet ignorantia veri: præſertim in iis, quorum voluntas impunitate proceſſit ad ſummam licentiam.

Dixi

In conſultationib. non obliuiſcatur princeps honeſtũ.

Dixi ſupra quod Principem ſummo & vnico ſtudio, poſt Dei honorem & gloriam, Reipublicæ bonum honeſtate coniunctum ſpectare deceat. Sic eſt, repeto, & alta, claraq; voce clamo: Honeſtate coniunctum! *Ea* enim *omnino deliberanda non ſunt*, ſcribit & monet Cicero, *in quibus eſt turpis ipſa deliberatio. Omnino conſultum eſt*, inquit Artabanus, *vt in omnibus conſultationibus honeſtum ſemper, & bonum publicum præ oculis verſetur.* Nam etſi bona conſilia plerumq; â fortuna ſuperentur, non aliter atq; tempeſtatibus ſcientia rei nauticæ, attamen recta conſcientia conſilij, inſtar ænei muri eſt: contra atque, ſi conſilium iniuſtum ſit, nam etſi fortunam obſequentem habeat turpitudo, tamen conſilij conſcientiam vellicat.

Quomodo princeps agnoſcere debeat, an rectũ conſiliũ ſit datũ.

Porro de eo quomodo Princeps agnoſcere debeat, an rectum conſilium datum ſit, nec ne, has regulas ſiue normas tradunt Politici. I. Si ad finem & ſcopum honeſtum & Reip. ſalutarem ſit directum. II. Si ad talem ſcopum media legitima, nempe, honeſta ordinentur. III. Si talia media ſuadeant, quę non ſint diſcrimine & periculo Reip. coniuncta. Semper etiam Principi ante oculos ſint duæ iſtæ aureæ imo gemmeæ regulæ, quarũ prior eſt: In deliberatione tua & in omnib. ſententijs adeſſe hęc duo oportet: Poſſe illud fieri, atq; vtile eſſe,

Ex hiſce videre eſt, quod bonum vel malum conſilium ſit. Ad haſce igitur regulas tanquam ad lapidem Lydium omnis Princeps examinet, quale conſiliū ſit; nū ſcil ſequendū aut reiiciendū. Hæc intente auſcultanti principi recitabā ego, & paruula orationis pauſula facta, dein ſi hāc rēplurib. tibi Celſiſſime, inq̃, Princeps, vt deducam placuerit, faciam, ad oculi iactum promptꝰ ſum. Ad hæc verba; q̄d ni placeat, inquit Princeps, hoc maxime arridet, tu modo proloqui perge, ego & auribus & mente attentus ſum. Singula quæ de conſultandi ratione traduntur, hiſce cōplexus videtur Cochirius, cūm ita ſcribit: *Honeſtum etiam gentilium ſenſu, in conſiliis attendendum. Tum deinde, id quod Reip. vtile eſt; itemq; an illud promptum effectu ſit; Hæc .n. ſi non adſint* (aiebat recte Imp. Leo) *infirmum conſilium eſſe, & temerarium ſtatim depræhenditur, & quaſi ante oculos illius vitium cernitur. Si n. inutile ſit de quo deliberas, non modo non tibi commodo eris, verum etiam læſeris. Si vero nō poſſunt, de quibus deliberatum eſt, perfici, inanis hæc conſideratio ad temerarium exitum, quod fieri nullo modo, aut via poteſt, neceſſario pertinet. Inprimis aūt vitare oportet eas offenſiones, quæ in promptu ſunt; vulgus .n. hominū ſolet rerum futurarum cogitationibus ſeipſos oblectare, offenſiones aūt circumſtantes prouidere non ſolent.* Atque iſtius viri iudicium, nec abſimile illud Mutiani: *Omnes*, inq̄t,

Quid ſupra dictū modū in de iberationibus & conſultationib. conſiderādum & obſeruandū eſt. viterius ex prudentum virorum authoritate deducit author.

qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an q̃ inchoatur, Reip. vtile, ipſis glorioſum, aut promptũ effectu, aut certe non arduum ſit, ſimul ipſe q ſuadet, conſiderandus eſt, adijciat ne conſilio ſuo periculum ſuum; & ſi fortunã cœptis affuerit, cui ſummũ decus acquiratur. Documenta plane digna quæ à Principibus conſultorib⁹ conſiderentur. Hucvſq; ille. His à me narratis prændi librum, quẽ de repub ſcripſit Petr. Gregori⁹, quemq; ad manũ habebam. Et en tibi Sereniſſime Princeps, inq̃, q̃d de diſcretione boni & mali conſilij Gregor. ſcribit: Et legens ſic recitare perrexi: *Poterit eſſe regula boni concilij diſtinguendi à malo, ſi quod conſulitur, honeſtũ eſt, à quo ſi deflectat, malũ eſt, cui⁹ ſententiæ auctorem habeo Senecã q addit Errãt,* inq̃t, *conſilia noſtra q̃a non habent quo dirigãtur. Ignorãti quem portũ petat, null⁹ ſuus ventus eſt: & ſummi boni finẽ ignoramus. Sũmum aũt bonum ille honeſtũ dicit. Nos Chriſtiani p̃gredimur, & in Deo ſummũ ponim⁹ bonũ; quanq̃ inter politicas conſiderationes, honeſtũ, & id quod conformetur mãdatis ſummi boni, bene, vt opinor poſſum⁹ dicere lapidẽ Lydium cõprobãdi recti conſilij.* Nam, vt ait Papinian⁹ Iuriſconſult⁹, *q̃ facta lædunt pietatẽ, exiſtimationẽ, verecundiam noſtrã; & vt generaliter dixerim, q̃ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe, credendum eſt.* Primum exemplum ab illa clariſſima Romanorum repub. quæ nihil per fraudes, ſed virtute etiam cum hoſtibus gerebat: & honeſtum vtili-

tati præferebat, ne antiquæ maieſtati reipublicæ labem inureret. Ita Camillo conſule Faliſcos circumſidente, cum ludimagiſter plurimos & nobiliſſimos inde pueros, veluti deambulandi gratia eductos, in caſtra Romanorum adduxiſſet, quibus interceptis, non erat dubium quin Faliſci depoſita belli pertinacia, traditùri ſe Camillo imperatori, eſſent. Sed de ea re Senatus cenſuit, vt pueri magiſtrum vinctum virgis cædentes, in patriam remitterentur. Quo factum eſt vt dignitatem ſuam reſpublica Romana conſeruauerit, & iuſtitiæ exemplo, conſilioque honeſto animos hoſtium expugnauerit: qui cum armis vinci non poſſent, iuſtitia victi, portas Romanis aperuerunt. Sic cum Timochares Ambracienſis, Fabricio conſuli pollicitus eſſet Pyrrhum ſe veneno per filium ſuum, qui potionib. eius præerat, necaturum, eaq; res ad ſenatum eſſet relata: Senatus miſſis legatis Pyrrhum monuit, vt aduerſus huius generis inſidias cautius ſe gereret, memor à filio Martis vrbem conditam, & armis bella, nõ veneno gerere debere: Timocharis aũt nomen ſuppreſſit, vtroq; modo dignitatẽ amplexus: quia nec hoſtem malo exemplo tollere, nec eum qui bene mereri paratus fuerat prodere voluit.

Athenienſium circa honeſtatẽ etiam conſiliũ

celebre: Cum n. Themiſtocles poſt victoriam de Xerxe moliretur principatum Græciæ inſtituere, & decreuiſſet apud ſe claſſem Lacedæmoniorum, quæ tota apud Gytheum ſubducta erat, incendere, vt ea conſumpta dominatio maris ei cederet, & relatum hoc fuiſſet ad concionem & conſilium ciuium, è veſtigio vniuerſa concio ꝙ æquum non videretur, nec expedire quidem proclamauit: Themiſtoclem vtile quidem conſilium, ſed minime iuſtum animo voluere. Iuſtitiæ ſancta penetralia, in quibus ſemper æqui & boni reſpectus religioſa cum obſeruatione verſatur: & vbi ſtudium verecundiæ eſt, & cupiditas rationi cedit, nihilque vtile quod parum honeſtum videri poſſit, dicitur. Atque in ſumma Princeps facile quod bonum conſilium ſit, ex tribus memoriæ commendatis iuris vtriuſque diuini & humani præceptis, colligere poteſt: quæ ſunt: honeſte viuere, alterum non lædere, ius ſuum cuique tribuere. Marcus Fabius Quintilianus, imperitos erraſſe ait, qui in ſuaſione & deliberatione, vel in diſſuaſione, honeſtum ab vtili ſeparandum putarunt, & neceſſarium, quod tamen ſapientes negant, honeſtum, & vtile idem dicentes: neceſſarium autem habere conſultationem negat. Honeſtum tamen ab vtilitate lucri ſepa-

rari, ſed non eſſe veram vtilitatem. Et ſic deſpiciendam vtilitatem dicimus, vt honeſta faciamus, vt cum Opiteoginis conſilium dabatur, ne ſe hoſtibus dederent quamquam perituri eſſent, ni ſe dediſſent. Nec etiam omnia vtilia expedit ſuadere aut ſequi, ſi vtilius ſit & niſi honeſtum. Addit Quintilianus: Tria eſſe in ſuaſorijs ſeu in conſilijs ſpectanda: Quid ſit de quo deliberetur: qui ſint qui deliberent: quis ſit qui ſuadeat. Rem de qua deliberatur, certum eſſe fieri, aut non poſſe. Si incertum, inſiſtendum, aut in qualitate, aut in coniectura. Conſultari autem omnia, aut propter ipſa, aut propter aliud. vt an Romani Fabios dedant Gallis bellum minitantibus? partes ſuadendi, honeſtum, vtile, ſub quo putant neceſſarium & poſſibile: ad quæ, fas, iuſtum, pium magnum, facile, æquum referantur: quæ tamen in omnem conſultationem nō cadant. Addit alia plura, quæ videnda ſunt conſulentib⁹. Porro iudicium conſilij pertinentis ad vtilitatē Reip. erit, ſi illud principaliter vtilitatē, & ſalutē ei⁹ reſpiciat, & ꝑ conſequentiam ad vtilitatem ſingulorum pertineat: non vero ad vtilitatē principaliter priuatorum. Totius .n. iuris duæ ſunt præcipuæ, & generales poſitiones, publicū & priuatū. Semꝑ aūt in concurſu publicum ꝓferendum priuato. Expendet

autem

autem Princeps, quomodo publicus concurſus poſſit eſſe ſine detrimento priuati cuiuſquam: nam & ſingulorum, vt publici curam gerit: vt & Deus Rex regum, prouidentiam ſuam extendit & curam, vſq; ad minimum capillum, & ad paſſeres ſingulares. Et ſi agatur de commodo publico ſtatuendo cũ incommodo priuati, certe non eſt lædendus priuatus, vt commodum maius accedat publico; quia priuatus certat de damno euitando, reſpublica de lucro captando, contra ius gentium, quo diſtributa ſunt dominia rerum ſuarum libere: vel ſi magnum commune commodum dicatur reipublicæ ex re priuati, tunc pretio ei dato indemnis efficiendus. Ac ſi concurrat, vt reſpublica lædatur, ſi non cum priuati etiam damno iuuetur: tunc præferendum quod pluribus prodeſſe poteſt.

Et quia priuatim quidem nemo poteſt, rebus lætis vti, vt non idem cum republica corruente pereat: aut reſpublica, ſi proſpero ſucceſſu vtatur, etiam priuatorum omnium poteſt calamitates ſubleuare.

Hic porro commodum publicum non intelligimus, commodum ſolius Principis. Nam princeps propriam etiam vtilitatem cõtemnere debet,

debet, vt publicæ rei conſulat, & in hoc ipſo legitimus & bonus dicitur princeps, cum pro republica, quam curandam & adminiſtram ſuſceperit, non tantum bona propria, ſed etiam propriam vitam expoſuerit: bonus enim paſtor, cui aſſimulantur reges paſtores populorum, animam ſuam dat pro ouibus ſuis. vt contra, tyrannorum proprium eſt, & ſignum omnia, quæ in republica agunt, potiſſimum ad ſuam vtilitatem, honorem, gloriam, ſeu ambitionem, aut lucrum agere: vnde euadunt populis odioſi, merito vt pro paſtoribus facti lupi rapaces. Suas iniurias non populi vindicant, cum tamen boni paſtoris & Principis eſt, quodammodo ſui ipſius curam negligere, proprias iniurias contemnere, & remittere, & quæ ad populum pertinent vindicare. Facit exemplum conſtantiæ mirificæ legatorum Tarentum miſſorum à Romanis, ad res repetendas: qui cum grauiſſimas ibi iniurias accepiſſent, vnus etiam vrina reſperſus eſſet, in theatrum, vt erat conſuetudo Græciæ, introducti, legationem, quibus acceperant verbis, peregerunt: de his quæ paſſi erant, queſti non ſunt, ne quid vltra ac mandatum eſſet, loquerentur. Hæc hucvſq; ex ſupra dicto auctore legebam; Deinde huc referendum quoq;, inquam, quod Keckermannus

mannus ſcribit: *Alia regula eſt*, inquit, *quam ſi recte memini, Auguſtus in ore & corde habuit; In omni deliberatione, quæ de Repub. inſtituitur, ſpectandum eſſe, vnde maiora aut minora abſurda conſequi poſſint; idque conſilium pro optimo deligendum eſt, ex quo pauciora mala conſequi queant; vix enim tale inuenies, ꝙ omni malo careat; Hinc & alia regula fluit, vt conſilia cauta ordinarie præferantur calidis & feſtinatis. Nunquam. n. futuris rebus velut iam factis confidendum eſt, neq; ſpes in ijs collocanda, quæ aliter euenire poſſunt, ſed ſemper partem aliquam quæ prater ſpem accidere poſſunt in rebus omnibus reſeruare debemus, monet ſapienter Dio, in Pomp. Periculis compertum eſt, conſilia calida & audacia prima ſpecie læta, tractatu dura, euentu triſtia.* Hęc ille. Hæccc cum recitaſſem, interloquutus eſt Princeps, ex manica ſua libellum manu deducens, &, en tibi, inquit, ſapientiſſimi Imperatoris Leonis librum, quem de bellico apparatu ſcripſit: Hunc è Græco in Latinum reddidit Checus Cantabrigienſis. Hic Imperator in 4. cap. (inter hæc verba idem caput in lib. princeps quærebat) de conſilio bellico capiendo præcepta quæda̍ filio ſuo tradit, quæ generalia ſunt, ita, vt ad omne conſiliu̍ applicari poſſint. Reperto demu̍ illo capite; plegam⁹, ait, & videbim', ꝙ multa in eo inſint monita, q̃ cum tua, Eluere, diſſertatione conueniunt, ei⁹ pcipuæ ſententiæ ita ſonabant,

Regula imperatoris Leonis in deliberationibus & conſultationibus conſideranda.

1. Omnem actionem conſilium anteeat; inconſulta .n. rerum tractatio haud tuta eſt. Nam quanquam interdum quis glorietur, ſe quaſi ſimul & deliberauerit & res ſuas geſſerit, res multas proſpere atq; ex tempore geſſiſſe, tamen perraro aliquid vſu venire fortunate ſolet.

2. Propterea inprimis præcipimus tibi, vt ante omnes res ſuſcipiendas, maxime autem bellicas conſilium cum ijs præfectis capias, qui tibi ad hæc idonei videbuntur, cuius generis turmarchæ reliquique ſunt. Vbi vero firmitatem aliquã habere conſilium videbitur, rem ipſam*, de qua deliberaſti, omni ſtudio ac diligentia contendas ad exitum perducere, niſi ſi (quod perſæpe ſolet accidere) aliquid interim aduerſum & contrarium conſilio contingat. Conſilium aũt quidnam tandem ſit, & quemadmodum conſilium tuum expedire poſſis, explanabo.

3. Conſiliũ eſt deliberatio quædã de re agẽda vel nõ agẽda. Si res agenda nõ ſit, ſtatim ſiſtendũ tibi eſt: ſin agenda ſit, modũ agẽdi vel quomodo, temp' vel quando, vbi vel locũ, q̃d vel rẽ agendã, quem vel perſonã, qui hoc ſuſceptur', & ad exitũ perducturus eſt, propter quid vel cauſam, cuius gratia res ſuſcipitur, conſiderare oportet.

4. Qui deliberaturus ſecum eſt, ante omnia ipſius mentem ab omnibus perturbationibus li-

beram habeat, maxime autē ab amore vel odio, atque omni alia perturbatione, quæ rei, de qua deliberatur, damnoſa eſſe poteſt. 5. Dei ide nō ſolum q̄d facile ſit, eligito, & in hoc incumbito: ſed etiā oīa, quæ vſu venire poſſunt, animo ꝓſpice: fortaſſis.n.poſt rē inceptam, aliq̄d ſe tibi, ꝙ inprimis conducibile eſt, offeret, ꝙ antea prętermiſiſti. 6. Quod ſi tecum ipſe nō ſolū capere conſilium, verum etiam alios aſſumere volueris, te ipſum tn̄ perinde ab omni pturbatione vacuum præbe, ac ſi ſolus deliberares. Conſultores aūt adhibe experientes rerū, prouidos, pſpicaces, ęrumnarum ac ꝓſperitatis tuæ ſocios, ad excogitandum ſolertes, fideles, q̄ neq; tibi ad gratiam obtēperabunt, neq; illi, q̄ rei ſuſceptor exiſtit, neq; ſibi mutuo, ſed qui, ꝙ cogitāt, dicunt, qui ſimplici animo & incorrupto ſunt, ſed eo ipſo tēpore quid maxime vtile ſit, explorant. 7. Sunt.n. qui cum lucrum aliq̄, aut compendium, ad ſe, aut ad eos, quos caros habēt atq; diligūt, ptinere poſſe vidēt; totā iudicationē eo transferunt. Et quia ptinaces ſunt, vniuerſum cōſilium ab vtilitate cōmuni ad id, ꝙ ipſi volunt, deducūt. 8. In occultis & abditis fideles adhibe tibi & temperātes viros & taciturnos, & qui in ſua & nō aliorum poteſtate ſunt, cum ſecretæ res iſtæ vt ſecretiores fiant, minime ād cognoſcendum multitudine indigent. 9.

9. Delibera tarde, niſi aliqua neceſſitas celeritatem requirit: vbi conſulueris, ſi nullum impedimentum ſit, mature facito.

10. Tempus & locum, quemadmodum prędictum eſt, rei idoneum elige. Sed de ea referas non ad te ipſum ſolum, ſed etiam ad omnes, qui tecum conſilij participes fuerant, & quid facto opus ſit, cum multis delibera: quæ vero agere volueris, cum paucis communica. Et vbi optimum ex omnibus conſilium ceperis, apud te ſolum tene, ne aduerſarijs hoc indicetur, & inſidijs illorum appetare.

11. Res ipſæ diuerſas & plurimas afferunt ſententias: fortaſſis autem omnis res circumſtans omni ex parte manifeſta fiet, ſi ſingulæ conſultorum ſententię inter deliberandum in vnum conferantur.

12. Omnes enim debent huc ſpectare & conuenire, ad ſaluam atque illæſam multitudinem conſeruandam, & ad curam prouiſionemq; eius, qui eos conuocauit ſuſcipiendam.

13. Finis conſilij ſit tibi vt cognoſcas in rebus gerendis vbi & quando agendum vel non agendum ſit, & qua de cauſa quidque agendum.

14. In deliberatione ſua & in omnibus ſententijs, quæ in deliberationem veniunt, adeſſe

hæc

hæc duo oportet; poſſe illud fieri, atque vtile eſſe: Hæc enim duo ſi non adſint, infirmum conſilium eſſe & temerarium, ſtatim deprehenditur, & quaſi ante oculos vitium eius cernitur.

15. Si enim inutile ſit de quo deliberas, non modo non commodaberis, verum etiam lædèris. Si vero non poſſunt, de quibus deliberatum eſt, perfici, inanis hæc conſideratio ad temerarium exitum, quod id fieri nullo modo aut via poteſt, neceſſario pertinet. In primis autem vitare oportet eas offenſiones, quæ in promptu ſunt: vulgus enim hominum ſolet rerum futurarum cogitationibus ſeipſos oblectare; offenſiones autem circumſtantes prouidere non ſolet.

16. Vtiliſſima autem eſt in omnes partes animi, quaſi excubatio, & eorum, quę vlla ratione fieri poſſunt in conſiderandis rebus pertractio: Jta enim fiet, vt neq; te ipſum nimis cæcæ temeritati exponas, nec rurſus nimia rerum cupiditate illectus, in manifeſtum aliquod diſcrimen incidas.

17. Rurſus timor abſque vlla audacia à vitio non abeſt, & qui quoſuis temerarios caſus formidat, temere ſæpe aduerſus ſe ipſum multa facit, & quæ ex vſu ſuo ſunt, negligit, & ab vtilibus rebus ſuſcipiendis abhorret. Huc vſque Impera-

toris Leonis Canones, ſiue de conſilio capiendo præcepta maxima ex parte generalia. Pro rei fine axiomata quædam politica in deliberationibus Principibus obſeruatu digniſſima, ex ipſa experientia à me hauſta, quæ ante nouem Menſes excellenti cuidam Regi in aurem inſpiraui, etiam auſcultanti principi meo recitabam, quæ & hic annectere operæ precium eſſe puto.

Quædam axiomata politica principib. in conſultationib obſeruanda.

1. Quotidiana experientia comperi: in quauis Repub. res circinari, rotari, gyrari: quare, quãdo viciſſitudo & mutatio illa rerum requirit, multum prudẽter concedendum eſt (licet cum quodam damno ſtatus coniunctum.) Neceſſitati & Tempori, ne Reipub ſiue Regni, ſiue libertatis, ſiue veræ Religionis extrema miſeria, deplorandaq; ſequatur ruina. Siquidem tempori cedere, neceſſitati obedire, rei circumſtantias perpẽdere. nota Prudentis ſit. Hinc eſt, quod dici ſolet: vim omnem ſuadendi vna vinci neceſſitudine. Raueſcit omnis dicendi ars aduerſus Neceſſitatem, atq; omnis periculi metus flacceſcit. Imitentur itaq; in conſultationibus Rectores Rerumpublicarum prudentes & ſapientes medicos: hi in extremis periculis, periculoſiſſimiſq; morbis, ne totum corpus pereat, moriatur, & intereat, ægrotum parte corporis non tantum minima & viliſſima,

ſima, ſed etiam quandoque cariſſima priuant. O prudentes rerum publicarum rectores! ò ſapientes conſultores, hoc conſilium obſeruantes!

2. Cauendum ne in regnis & rebuſpublicis, idem accidat, ꝙ in corporibus humanis multis humoribus repletis, accidere ſolet, vt nonnunq̃ medicamentum imprudenter vni parti ſanandæ accõmodatum, maioris periculi morbum cauſetur & adferat. Quare non ſecus ac humani corporis ægrotantis medicus Phyſicus, Reip. languentis medicus politicus, hoc eſt, reip. moderator, nec nõ conſiliarius in hac re circumſpectus ſit & prouidus. Experientia docet: medicamenta quędam, licet per ſe bona, niſi iuſta proportione, cõmodo tempore, & certis ægrotis adhibeantur, magis nocere q̃ iuuare: ſic quoque conſilia licet bona, niſi rerum, temporis & circumſtantiarum ratio in iis habeatur, Reip. periculoſa ſunt.

3. Quod de Aruſpicum Hetruſcorum perfidia Agellius in noctibus atticis narrat, id omnes Principes, omneſq; conſiliarij in deliberationib. notare debent: De illis à pueris Romæ tota vrbe (vt pręfatus author literis teſtatur) cantatum eſt: *Malum conſilium conſultori peſſimum.* Huc reſpicere videtur Iobus dum ait: *Vidi arantes ſcelus, & ſeminantes moleſtiam, ipſam metere.*

Nec fruſtra vbiq; prouerbio dicitur: Quod

Quod plerumque aliquis in foueam, quam alij parauit, præceps cadat. Nec non iſtud: *Quæ mala in alios exeunt, grauiora in authorem redeunt.*

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Ipſe ſibi nocet is: alium qui lædere quærit.
Conſultum male, conſultori peßima res eſt.
Circumretit enim vis atque iniuria quemque,
Atq; vnde exorta eſt, ad eum plerunque reuertit.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit autor opus.

Deus iuſtus eſt, qui ſæpe peſſima cogitata alijs in perniciem meditantium regerit, vt iuſta patiendi vice, quod excogitarunt, alieno malo excipiant ſuo. O quam multi iiſdem telis & retibus, quæ ipſimet confecerunt, ſuccubuerunt & perierunt. Deus eſt qui oculum intendit, & punit.

4. Bonum finem ſibi propoſitum habere non ſufficere puto, niſi & bene ad bonum finem ducatur.

5. In conſilijs pro republica quidam ſolummodo, & vnice rei, de qua conſulitur, inconuenientiam conſiderant, haud vero bona, quę inde proficiſci poſſunt: quidam vnice, quid boni inde ſequitur, haud vero damna & pericula. Vterq;, & ille & iſte peccant.

6. In

6. Jn conſilijs quidam male de vno extremo ad alterum currunt, nec in medijs conſiſtunt magno Reipub. malo.

7. Sæpiſſime agendi tempora deliberando conſumuntur & teruntur: atque perficiendi occaſiones in deliberatione altercando negliguntur. Quandoque dum ſenatus diſputat, hoſtis vrbes captat.

8. Stultus Princeps conſilium amplectitur ꝙ ad effectum deducere nequit. O ſtulte, ſtulte hoſtem infirmitatem tuam doces, hoſtem excitas, hoſtem in te armas; hoſtem, vt te perdat, aduocas!

9. Qui conſeruare volunt Principes pleriq; lente conſultant: qui augere & acquirere, prompte, cito & expedite: illi plerique quærunt conſilia, iſti rapiunt.

10. Quod ipſe in vulneribus olim meis expertus ſum; remedia ſcilicet ſaluberrima maxime dolore; Idem in conſilijs pro Reipub. ſalute dandis vſu venire, nuperrime obſeruaui.

11. Noua & inuſitata conſilia prima facie pompoſa & glorioſa ſæpe viſa fuiſſe; at ancipites, periculoſos, & Reipublicæ authoribus ipſis exitioſos exitus ſæpiſſime habuiſſe, obſeruauimus. Pleriſq; Principibus ſpecioſa conſilia præ maturis arrident.

12. Temerarium & periculoſum, conſilia exemplis moderari, dirigere & accõmodare, ſi nõ eædem ipſiſſimæ rationes, eædem circumſtantię vniuerſe & ſingulatim omnes concurrãt. Hæ vix vnquam, puto, conuenient. Nec obſtat, quod prouerbio dicitur: Eandem agi fabulam, mutatis tantum perſonis. Et licet ñil ſub ſole nouum videatur: nulla tamén fabula & exemplum alteri per totum & ſingulas partes & circumſtantias ſimile: quippe fortũna varietate delectatur: Hoc videre eſt in mortalium faciebus, licet altera alteri ſimilis eſt, per totum tamen non ſimilis eſt: reperies vbique quod altera ab altera differat.

13. Conſilia maxime ex rebus & circumſtantijs ſumenda ſunt. In perplexis & dubijs porro conſilijs illud princeps eligat, quod neceſſitas ſumme ſuadet, & cuius euentus difficultatis minus habet.

14. Properandum potius cum eo conſilio, neq; longæ cunctationi locus dandus eſt, quod niſi perfectum laudatur.

15. Sine medijs tentare, incipere & aggredi opus aliquod, eſt tentare Deum.

16. Conſultius eſt, pauca negotia agere caute quam multa pericuLoſe.

17. Vbi prudentia opus eſt, ibi vi agere temerarium

rarium eſt & ſtultum. Huc quoque reſpexit M. Tullius Cicero, cum ſic ſcripſit: *Non minorem vtilitatem adferunt, qui reipublicæ præſunt, quam qui bellum gerunt: itaque eorum conſilio ſæpe, aut ſuſcepta, aut confecta bella ſunt. Qare expetenda magis eſt decernendi ratio, quam decertandi fortitudo. Temere enim in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam eſt, & belluarum ſimile. Conſiderati hominis eſt, iure decertare, armis non contendere. Parua ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi.* Idem quoq; Lacones conſiderarunt, hi ſi quando ſtratagemate, id eſt, callido conſilio ſuperaſſent hoſtem, Marti vulpem immolabant: ſin aperto prælio, taurum. Hoc pacto conſuefacientes belli duces, vt non ſolum viribus, ſed etiam conſilio aduerſus hoſtem eſſent inſtructi.

18. Non impoſſibile eſt bono & prudenti viro, ex malis bona, & ex bonis mala præſentire. Quare in deliberationibus quædam, licet prima facie bona viſa, cauenda ſunt, non ſecus atq; ea, quę aperte mala Hac ex ſententia (vti ex hiſtorijs conſtat) non parum multis ante ſeculis contraxit gloriæ Scipio Naſica: Anceps.n. & dubia cũ Romæ inter Patres agitaret hæc quæſtio. Carthago funditus nec ne eſſet delenda; ipſe inprimis Cato cui antea Priſci fuit nomen, ſenſit Carthaginem eſſe delendam, vt Roma incolumis eſſet, multiq; pedibus ierunt in eius ſententiam. At

At Scipio acerrime ei reſiſtit: inquiens excidium Carthaginis, fore vrbis Romæ exitium. Metuebat enim, ne populus Romanus æmulæ, & inimicæ vrbis metu liberatus in bella irrueret ciuilia, quibus deinceps reſtinctum magis, quam debilitatum eſt imperium. Hiſce 18. axiomatibus ſiue regulis politicis, in cuiuſdam Regis aurem nuper à me relatis, & colloquenti Principi meo etiam enumeratis, tandem,

De conſultorũ ſiue conſiliorum executione, ſine qua omnes deliberationes & conſilia vana.

Poſthæc omnia, inquam, sereniſſime Princeps, quæ de conciliis, conſiliariis & conſiliis, dixi, licet à Sapienti Principe obſeruentur, abſque executione tamen mutila & imperfecta ſunt. Clara experientia didicimus, ſicut ſine conſilio reſpub. ſtare non poſſunt, ita bona conſilia abſq; executione haud conſiſtere. Executio finis eſt, propter quem cōſilia capiuntur. Executio quoque finis eſt propter quem lex ſancitur. Quapropter conſilium, quod non eſt (vt ſic dicam) practicabile, licet ſit acutiſſimum & profundiſſimũ, plenum eſt imprudentiæ & ſtoliditatis. En tibi animam in corpore, quod illa in iſto, id conſiliũ in repub. & quod illud in Republica, id executio in conſilio eſt. Audiamus hic Magnæ Britanniæ Regis monitum ad filium ſuum ſic ſcribentis: *ſemper lentum & prouidum te eſſe oportet in conſulendo, ſtabilem:*

ſtabilem & conſtantem in ſtatuendo, in exequendo promptum & expeditum. Binas enim manus, binoſque pedes cum multis digitis ad expeditionem rerũ & executionem dedit natura, vt omnia illa apta inſtrumenta accerſas, quibus deliberationes tuę ad effectum perduci poſſent. De hac executione porro; ait Ariſtoteles, oportet operari velociter, conſiliari autem tarde. & Saluſtius: *Priuſquam incipias conſulto, & vbi conſulueris, mature facto opus eſt.* Atque Seneca: *Diu delibera; cito facito.* Et Guicciardinus: *Inanis eſt omnis in conſiliis diligentia prudentiaque, ſi negligentia in perficiendo imprudentiaque ſequatur.*

Huc vſque ille. Deinde: Non hic, inquam, omittendum eſt, vt dicamus & ſtatuamus: ſine Deo conſilium, quoduis vanum eſſe. De qua re Ribadeneiram audiamus, qui hanc meam ſententiam vt ſequitur, ex ſacris literis probat & defendit: Intelligant Princeps, eiuſque conſiliarii, niſi Deus cõſiliis interſit & aſſiſtat, quantumuis ſeſe impendant, fore vt errent; tandemq; in malos conſiliarios recidat, quidquid proprio quæſtu & commodo incitati, quod Deo repugnet, & in commune damnum vergat, ſuaſerint: quinetiam ſæpenumero ab eomet Principe caſtigãdos, cui, Dei immemores, adulati ſunt; & ipſum eorũ

Sine Deo omne cõſilium nullum eſſe.

conſilium laqueum futurum, quo irretiantur; foueam, in quam cadant; crucem & patibulum, cui affixi, cum Amano vitam ponant; capillos, quibus vt Abſalom innexi ſublimes pendeant; gladium, quo diuina iuſtitia, ſicut Iuditha Holoferni, ſic illis caput amputet; denique vt ſagittam, quæ in durum ac forte ſaxum immiſſa, in eum, qui eam iecerit, reſiliat. Tritum enim eſt illud ſermone prouerbium: *Malum conſilium conſultori peſſimum.* Et Spiritus Sanctus ait: *Facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur.* ac per Iobum: *Deus eſt; qui ponit humiles in ſublime, & mærentes erigit: qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperint: qui apprehendit ſapientes in ſtultitia eorum, & conſilium prauorum diſſipat.*

Apprehendit (inquit) ſapientes in ſtultitia eorum, quod etſi prudentes videntur, tamen inſipientes ſunt, & inſaniſſimi, qui ſapientiam ſibi ſine Dei præſidio adſcribunt. Dauid etiam, *Dominus*, inquit, *reprobat conſilia Principum.* cui conſentit Salomon his verbis: *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Et Eſaias: *Inite conſilium, & diſſipabitur. Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium: quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt; Quis videt nos, &*

quis

quis nouit nos? Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio; quaſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo. Non feciſti me; & figmentum dicat fictori ſuo, Non intelligis. Væ filii deſertores, vt faceretis conſilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum. erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem. Propterea concludit Eccleſiaſticus: *Facienti ni-quiſſimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur, & non agnoſcet vnde adueniat illi.*

Maxime certe refert, vt Principum Conſiliarij vere ſibi perſuadeant, non eſſe conſilium cōtra Dominum, & peſſimum conſilium in caput eius, qui dederit, tandem deuolui. Quid profuit Ioſephi fratribus innocentem fratrem ſuum Iſmaelitis vendidiſſe, niſi vt illum ſuum atque Ægypti Dominum & Gubernatorem conſtituerent? Quo tandem recidit omnis ille Pharaonis conatus ad obterendum & exſtinguendum Dei populum? an non redundauit in maius incrementum eorum, quos depreſſos ac exſtinctos cupiebat, & in ſui ipſius ruinam, regnique vaſtitatem? Odium, quo Dauidem Saul perſequebatur, vtile fuit ad nomen illius illuſtrandum. Inſidiæ atque calumniæ Chaldæorum Principum in Danielem ad Numinis ſuos protegentis, & malos punientis, prouiden-

videntiam oſtendendá valuere plurimum. His à me dictis, mouit dextram manum Princeps, & ſatis de hac re, inquit, dixiſti. Deinde oculos à me ad feneſtram dirigens, & ridens cœlum, pictaq; prata reſpiciens exclamat. Et, ô res ornatiſſimas, ait, res viſu lætiſſimas & gratiſſimas! quæ omnes & ſingulæ ad hic diutius conſidendum, ad proſpectandum, & ſermones miſcendum nos inuitant. Loci amœnitas arridet, auicularum concentus delectat, & confabulationes iuuant. Nil hic moleſtum, niſi quod circa caſulam hanc hirundinum nimia garrulitas, quaſi tędio fuerit; verum tamen pullos eorum iam plumeſcere video, ita vt auolare tentent & inceptent; Hic igitur poſthac ab huiuſmodi moleſtia liberemur.

Quomodo Princeps extra concilium ſeſe erga conſiliarios ſuos gerere debeat.

Nunc, mi Eluere, ad vltimam tuæ orationis partem aures arrigam; quæ de hac quæſtione erit: Quomodo ſcilicet princeps erga conſiliarios ſuos ſeſe gerere debeat? Poſthæc, facta debita reuerentia, &, hanc in orationis meæ veſtibulo propoſitam quæſtionem, inquam, hic ſic intelligi volo: quomodo, nempe, Princeps extra concilium erga ſuos conſiliarios ſeſe gerere debeat: Nam quid Principi in ipſo concilio erga conſiliarios & conſulta obſeruandum ſit, iam dictum

eſt.

eſt. Hoc ſciat omnis Princeps: nullam poſt Principis dignitatem ſiue munus nobilius, excellentius & vtilius eſſe munere ſiue officio conſiliariorum: quippe ſine quibus nihil fas eſt in republica agere: quorum iudicio & ſententia leges conduntur, iudicia exercentur, bella adminiſtrantur. quippe qui reipublicæ cuſtodes, tutores & defenſores appellantur; imo, qui Principis amici, Principis patres, Principis oculi, Principis aures, Principis lingua, manus, & pedes, ideo vocantur, quod illi Principi & Reipub. bona & ſalutaria conſilia ſuggerāt, quod Principis & Reipub. ſalutem & commodum ſumme curent, & quòd Princeps non videns, videant, de eoque illum admoneant. Οὐ τόδε τὸ χρυσοῦ, σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ᾽ οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον: *Non aureum iſtud ſceptrum eſt, quod regnum cuſtodiat, ſed copia amicorum, ea regibus ſceptrum veriſſimum tutiſſimumque.* Audi Princeps celſiſſime: Cōſiliarii Principis amici, Principis & Reipublicæ patres, patriæ patres, & patricii dicuntur. Recitemus hic ſapientiſſimi Imperatoris Iuſtiniani conſtitutionem: *Ex conſtitutione noſtra ſumma,* ſcribit ille, *Patritiatus dignitas illico imperialibus codicillis præſtitis, filium à patria poteſtate liberat: quis enim patiatur, patrem quidem poſſe per emancipationis modum,*

Nullum poſt Principis dignitatem excellentius munus eſſe munere conſiliariorum.

poteſtatis ſuæ nexibus filium liberare. Imperatoriam autē Celſitudinem non valere eum, quem ſibi patrem elegit, ab aliena eximere poteſtate? Hucuſq; Imperator.

Patricii olim apud Romanos dicebantur, qui è Senatoribus, à Romulo conſcriptis, nati erant, ideo quod patres ſuos ciere poſſent: Poſtea Conſiliariis Imperatorum tribui hæc appellatio cœpit, quaſi illorum patres eſſent. Huc ſpexit Auſonius: dum ita ſcribit:

Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras Principis eſſe pater.

De his itaq; loquitur Iuſtinianea conſtitutio, non de illis. illi Imperatorum filii potius dicendi ſunt, & iſti non immerito patres. Porro Imperatores quidam Conſiliarios ſuos portionem ſui corporis vocarunt. Senatus inſuper eſt ornamētum Reip. & ſplēdor ciuium: quem Cicero Principem ſalutis vocat. Et vt Principis ſalus, priuatorum ſalus dicitur; ita etiam auctoritas & dignitas conſiliariorum, dignitas Principis cenſetur: nec fieri poteſt, vt magnifiat Princeps, cuius Senatores contemnuntur.

Princeps conſiliarios ſuos amare, magnifacere, efferre & nō-

Cum igitur Imperatores Cōſiliarios ſuos patres & nominarint, & habuerint, operæ preciū, imo honeſtū & neceſſum eſt, vt omnis Princeps conſiliarios ſuos gerat, eos amet, magnifaciat, &

præ

præ cæteris aulicis efferat, nonnunquam hono- *nunquã eos remunerari debet.*
rifice ad cœnam inuitet, cum iiſdem humaniter
& benigne conuerſetur, & eos ſæpe remunere-
tur. Hoc prudentes vbiq; Principes obſeruarunt:
qui quo conſiliarios in fide, officio & diligentia
retinerent, de ipſis honorandis, amplificandis &
locupletãdis viciſſim curam & operam ſuſcepe-
runt. Magna hinc authoritas Principi apud po-
pulũ creſcit; qui ſapientem putat, cum ſapientib.
verſantem. Supra paulum tetigimus & diximus,
nequaquam Principem indignari debere ſi con-
ſulta male reſpondeant.

Hic idem repeto, & haud indignari debere
Principem moneo; nec eos, quorum conſilium
male ceſſit, pœnis afficiẽdos eſſe, nunc addo. Au-
diamus de hac re Dionem ad Auguſtum: *Eos*, in-
quit, *qui rectam ſententiam probamque dicent, & lauda
& honora, illorum enim ex inuentis bene audies: qui vero
aliter, neque ignominia affice, neque accuſa. Mentem enim
illorum conſiderare oportet, non autem aberrationem ca-
ſtigare.* Cum Iuſto Lipſio litem hanc cõciliemus,
dum cũ eodem ſtatuimus: quod cõmuniter cõ-
ſiliarium prudentẽ honorare & præmiari fas ſit
& ius; at non ob ſingula ſuaſa & conſulta. De
Cyro Perſarum Rege ſcribitur, quod cum
huius ſibi vitæ deponendam vſuram eſſe

ſentiret, conuocatis Conſiliariis & amicis ſuis, Cambyſen filium ſuum apud Xenophontem hortatus ſit: vt fidos amicos, regnum conſeruare ſtatuat; hos parari habeat perſuaſum, non natura, non vi, non modis aliis, ſed εὐεργεσίᾳ liberalitate ac beneficentia, quæ, vt ille ait, dos in Principe ac Magiſtratu potiſſima eſt: deuinctos obligatoſq; efficit plurimos, propterea quod beneficium ſæpe dare, eſt docere reddere homines iiſdemque velut compedes iniicere. Et, vt fruges non tam ſoli bonitate quam cœli beneficio ac temperie lætius exuberant, creſcunt: ita ingenia eximia Principum ac magiſtratuum benignitate excitantur.

Nunquid fas ſit principi, malos & peruerſos cõſiliarios punire & officio remouere.

Neq; male Aureliano cum quæreret, quo pacto recte feliciterq; res adminiſtrari publica poſſet, reſponſum fuit: Auro & Ferro ad hoc opus eſſe: ferro contra hoſtes; auro apud amicos ac benemeritos. His à me dictis, me quærit Princeps, nunquid fas ſit Principi malos, malitioſos, & peruerſos conſiliarios punire & officio remouere? Ego ad hanc quæſtionẽ ſubmiſſe reſpondi, vt penes Principem conſiliarii conſtitutio eſt, dixi, ita & amotio & obolitio.

At ſummum in hac re adhibendum eſt iudicium: non nudum affectum ſuum reſpiciat Princeps,

ceps, ſed Reipublicæ ſalutem. ex hac ſola iudicãdum, an munere ſuo dignus ſit conſiliarius, necne, an retinendus an vero remouendus. Quid periculoſius Reipublicæ, quam ad arcana Reipublicæ ſemel admiſſum dimittere & repudiare, qui ab officio ſuo remotus, ad reipublicæ Principiſq; inimicum ire, eique arcana reuelare poſſit? Si tamen ita malus & peruerſus, ſi ita infidelis & perfidus eſt conſiliarius, vt ſalua Reipublicæ ſalute, ſalua reipublicæ vtilitate retineri nequeat, non ſolummodo ab officio remouendus eſt; ſed inſuper ſeuere in exemplum aliis, eſt puniendus. Siquidem Reipublicæ quamplurimum interſit, ne cõſiliariorum vulgata infidelitas & nota perfidia maneat impunita.

Nec volo, vt ſtatim remouendus ſit conſiliarius, quando populo & ſubditis ſit odioſus. Si ſua culpa ex malitioſo animo profecta, ſi ſuo vitio in populi odium venit, ne quid inde reſpublica amplius damnum patiatur, remouendum eſſe, ſtatuerim. Si vero non ſua culpa, ſi non ſuo vitio, ſed caſu, ſed fortuna, ſed populi potius vitio odioſus eſt, difficilior eſt deciſio. Dure de hac re loqui videtur Imperator Marcus Aurelius: *Ego, inquit, ex quo intellexi, quid eſſet rempublicam gubernare, hoc ſemper habui infixum animo, vt nunquam do-*

Quid principi erga conſiliarium faciẽdum ſit, ſi non ſua culpa ſed populi vitio ſubditis odioſus eſt conſiliarius?

domi meæ haberem aliquem, ſimul atque illum odio eſſe, ciuitati animaduerti. Pro huius Imperatoris mente allegari quoq; poſſet exemplum Achis Philiſtinorum Regis, qui Dauidem ab exercitu ſuo abire iuſſit. Item illud Caiphæ: *præſtat vnum perire, quam totum populum.* At contra ſonat magni Imperatoris ſymbolum: *Fiat iuſtitia, & pereat mundus.* Contra quoq; clamitat totus Philoſophorum chor⁹, qui non ex populi vtilitate aut commodo, nõ ex populi iudicio, ꝙ plerunq; eſt cœcũ, non ex populi affectu, ſed ex iuſto, ſed ex æquo, ſed ex vero iudicio pœnas & præmia ſtatui & decerni clamitat. At nobis medium excogitandum eſt, quod id peragi poſſit, vt & Reſpublica nihil detrimenti capiat, ſed ſalua maneat, & neque conſiliario iniuria fiat, aut interitus moliatur. Hic ſumma prudentia opus eſt Principi, vt quod dixi, effectus det. Primum Principi ſapienter curandum eſt, vt populum prudenter permulceat, conſiliarium caute purget, & populi odium mitiget. Reitero & dico: hic ſumma prudentia Principi opus eſt. Nam ſi nimis violenter conſiliarium defendit & propugnat, in idem populi odium, & reipublicæ peſtem, ſuſpicionem, incurrit.

Si hoc modo, prudentia ſua nihil efficit Princeps ſiue proficit, ad alia honeſta officia o-

pera

pe[illegible] illius vtatur Princeps: ſiue ad aliquot annos alio ableget.

Si interea multiuoli populi ſuſpicio, ira & furor nondum deferbuit, & futuri reipublicæ damni ſignum periculumque manifeſtum ſit à ſeditione, tumultu, factione, det Princeps conſiliario apud exteram nationem ſiue rempublicam viuendi, & ſe ſuſtentandi honeſtum ſtipendium, ſeu alij Principi honorifice commendet, & apud illum benigne promoueat.

Ad extremum & illud demum ſibi dictum putet meus Princeps, ne in principio ſui imperij temere patris ſui, ſiue deceſſoris conſiliarios temnat, repudiet, & aula eijciat.

Principi hoc conſilium dandum eſt, ne in principio ſui imperij temere patris ſui ſiue prædeceſſorū cōſiliarios temnat, repudiet & aula eiiciat.

Hoc peccatum aliquot Principes cum ampliſſimo ſuo damno imprudenter peccaſſe apud hiſtoricos ſæpe obſeruauimus.

Meus Princeps, econtra, probitate, vitæ integritate, authoritate, fide & experientia inſignes anteceſſoris poſt ſe relictos conſiliarios amore, beneuolentia & humanitate adſciſcat, alliciat, & foueat, atq; fidelitatis iuramento ſibi obſtringat, propterea, qꝑ, & reb⁹ illis gerendis iam magis exerciti, & prioris gubernationis magis gnari ſint q̃ nouiter adſciſcendi & vocãdi. *Amicum patris tui,*

ſuadet

ſuadet ſapiens Rex Salomon, *ne dimiſeris.* Et Syrach: *Ne derelinquas amicum antiquum; nouus enim non erit ſimilis illi.* Adde, quod quam plurima à prioris Principis conſiliariis, quæ gubernationi vtiliſſima, Princeps nouitius audire & diſcere poſſit. Has ob rationes ſapientiſſimus & literatiſſimus Imperator Marcus Aurelius moribundus Commodum filium adoleſcẽtem conſiliariis ſuis viris ſapientibus commendabat, & iſtos illi, cuius imperium tam diu floruit, (teſte Lampridio) quam diu ex ipſorum conſilio omnia agebat. Nec hic præterire poſſum, quod Tacitus monet; *Sciunt omnes nouum Imperium inchoantibus,* inquit, *vtilem eſſe clementiæ famam.* Sic volo, Celſiſſime Princeps, meus Princeps deceſſoris, ſiue patris ſui fide, morum integritate & ſapientia præſtantes conſiliarios, nec non ſuos conſiliarios à conciliis haud ſine graui cauſa amoueat, ſed retineat. *Liberos decet hæredes,* teſte Iſocrate, *eſſe non modo facultatum, ſed etiam amicitiarum paternarum.* Huc referendum illud Ciceronis: *Veterrimæ quæque amicitiæ,* inquit, *vt vina quæ vetuſtatem ferunt, debent eſſe ſuauiſſimæ. Non enim amicitiis eſt vtendum, vt floribus, tam diu gratis, quam diu recentibus.*

Οὐχὶ περιτιμήσεις νέον ἄνδρα φίλον περὶ παλαιοῦ:

Non

Non erit antiquo nouus anteferendus amico.

Quis ignorat Regem Roboamum, quia ſeniores Patris ſui conſiliarios neglexit, pene regno toto excidiſſe? De Cambyſe Perſarum Rege Herodotus ſcribit, eum patris ſui Cyri conſiliarios, viros ſapientes & prudentes neglexiſſe. Quo factum, vt primo Imperii anno vertente miſerrime mortalitatem expleret: poſteris Exemplum præbens, non temere parentum conſiliarios eſſe dimittendos. Hanc ob cauſam Ludouicus XI. Galliarum Rex, vt ſcribit Cominæus, Regno ſuo ferme ſpoliatus fuit, vt ipſemet iam moriturus Carolo filio ſucceſſori teſtificatus eſt; quem à ſuo exemplo dehortabatur, ne ad eundem lapidem offenderet: ſerio ei mandans, vt quos relinquebat ſenes conſiliarios, in conſilium adſciſceret, deque eorum ſententia imperii habenas regeret. Ad eundem offendit lapidem Amurathes Turcarum imperator: ſed ſenſit ille, quam ea res illi damno fuerit. Neque hoc hic volo, vt Princeps omnino alligatus ſit ad prędeceſſoris ſui cōſiliarios, vt ob euidentem rationem pro Reipublicæ ſalute & commodo, eos mutare & officio ſoluere nō poſſit; ſed hoc tantū meo Principi dico & ſuadeo, vt caute hoc, nec facile agat. Miſceat potius nouos veterib. & veteres nouis remiſceat,

vtroſque retineat, vtroſque amet, vtroſque præmio remuneret. Ad hanc rem nõ immerito, pro clauſula referendum eſt, q; Hippolytus monet: *Veri Principis induſtria in ſapientibus omni ſtudio*, inquit, *in bonum publicum vindicandis retinendiſq; merito ſemper verſata eſt.* Ad retinendos duo requiri video; quemadmodum (ait ille) fruges non tam ingenio ſoli, q̃ cœli beneficio, melioreq; temperie lętius exuberant: ita & eximia ingenia, benignitate, humanitateq; Principum virorum excitantur & aluntur: alterum igitur eſt, vt eorum opera, tum clementer & benigne, tũ etiam iuſte, hoc eſt, congruenter vtantur. Quemadmodum enim miniſtrorum partes ſunt obſequium, aſſiduitas, taciturnitas, labor indefeſſus: ſic Magnatum contra officium eſt, Conſiliariorum (quos boni Principes partem ſui corporis eſſe ſtatuerunt) ſedulitate non abuti: nihil vnquam in eos aſperum aut contumelioſum dicere, nec acerbe officium exigere: ſicque cogitare, ſe non ſeruis & mãcipiis, ſed liberis hominib. imperitare: quorũ opera, ſi non gratuita & voluntaria, at certe libera vtuntur. Alterum eſt, ne laborum ſuorũ præmio ac mercede fraudentur. Quid quæſo æquius, q̃ vt quorum vita in noſtris conſumitur commodis, cos remuneremur? exemplo vel ab agris ſumpto,

pto, qui à quibus diligentius coluntur & laborioſius, ijs vberiores fructus ferunt. Rerum iſtarum neglectum magna ſæpe Principibus incōmoda tuliſſe, præter antiquas, hiſtoriæ etiam recentiores clariſſime docent.

Hæc cum proloquutus eſſem, inclinato ad dexteram capite, & hæc habui, Princeps Celſiſſime & literatiſſime, inq̃., quæ de concilijs, conſiliarijs & conſilijs dicerē: Nempe primū, de concilij conſiliariorum, conſiliorumq; neceſſitate & vtilitate: Secundo, quot & qualia concilia eſſe debeant. Tertiò quib. animi, corporiſq; qualitatib⁹ conſiliarium prædicum eſſe oporteat? Quarto, de conſiliarij electione: Quinto, de ipſa cōſultatione & conſilijs, conſiliorūq; fine: Sexto, Quomodo Princeps conſilia amplecti, ſeq; erga conſiliarios ſuos gerere debeat. Hæc, inq̃, huc vſq; dixi. Si igitur dicta placuerint, boni conſulas, quæſo; ſi diſplicuerint, ignoſcas; & bono, candido & ſyncero animo me ſermocinatum eſſe noſcas. Optume & ſapientiſſime Princeps; ſi erratum eſt, mone, corrige, forma. Si q̃d amœnū & ſalutare prolatum, oblectare, vtere, fruere. Si diſſertatio arriſerit, fauorē tuum (ſcio) nactus ſum; ſi probaueris, applauſum. Ad hæc mea verba, applaudo, inquit Princeps. Deinde, cum magna voluptate

Epilogus ſiue peroratio.

diſſertationis tuæ liquorem, ait, guſtaui. O ſermones tota vita mihi vtiles & iucundos! Quid inſuper de iis mihi iudicii, apud alios dicere malim, ne gratiæ cauſa dicere videar; tibi tamen hoc vnum, quod repeto, verbum, dico: applaudo. Denique orauit, vt proxime ſequuturo die de recto principis officio, deque natura populi itidem ſententiam meam promerem. Tum ego, cras, ſereniſſime Princeps, abeundum eſt, inquam: At quod haud ore dico, id calamo ſcribere promitto. Fit enim quandoque vt per maria & terras, ex longinquis, inquam, oris quidam magni Principes Dantiſci, vbi pro tempore rerum & fortunarũ mearum ſedẽ poſui, me literis conſulant, quibus reſpondeo, & de propoſitis quæſtionib. mẽtem, ſiue conſilium meum reſcribens aperio. Idẽ tibi Celſiſſime princeps, quoties quæſitus, facere hac mea dextra adſtipulor. poſthæc princeps ad me: ſi cõmorandi tempus non ſupereſt, eas cum bono Deo, inquit: Ego vero ſupplex precabor, veneraborq; potens & ęternum Numen, vt te lęte & fœliciter, quo is, ducat. Atq; vt hæ voluptates meæ augeantur, de boni principis officio, nec non de populi natura ſcribe. Hęc cum dixiſſet optumus, literatiſſimus & ſapientiſſimus princeps, ſurrexit, atque eamus Eluere, inquit, & quia horolo-

herologiolum hoc meum prandii index, & quia ventriculi mei ſollicitatio atque appellatio ad prandendum vocat. Ego, & alacriter ſequar, inquam, & lubens de Principis officio, & natura populi è Dantiſco ſcribam. Iuimus, ad menſam cibis ad lautitiam inſtructam diſcubuimus, edimus, bibimus, variis de rebus garriuimus, riſim⁹, & præſertim de Romanorum graui & fœdo luxu confabulati ſumus: quod ſcilicet, Rempublicã, quam illa inuadit, ruina affligat. Hoc in potẽtiſſima & Auguſtiſſima Roma clarum eſſe, dixi, quam ille dominatu, fœlicitate & faſtigio ſuo deiecit. Finito demum prandio, abitioni me adornaui, atque iam iam abire paratum me amplectebatur Princeps, Et per hoſce amplexus, vt literis tuis me ſæpius inuiſas, te oro, inquit. Denique pro beneficiis in me collatis gratiarum actione reddita, Principeq; vna cum ſuis diu fœliciter valere iuſſis, in hoſpitium iui. Ibi itineri me ſerio demum accinxi.

Dein ex diuerſorio diſceſſi, me in viam conieci, & per latos planoſq; campos, ſupinos elatoſq; montes, imas cauaſq; valles, & frõdifluas nemoroſaſq; ſyluas Dantiſcum profectus ſum, atq; ſæpiſſime in itinere hacce ſequenti cantilena horulas meas conſumpſi.

Laudate Dominum cœlitum
Chori beati, qui procul
Contagio mortalium
Templa ætheris tuemini.
Laudate Dominum, quos ſibi
Adeſſe iuſſit Angelos;
Laudate Dominum exercitus
Parere prompti iuſſibus.
Laudate Dominum, qui diem
Sol, luna noctem illuminas.
Laudate Dominum lucidis
Stellæ decoræ flammulis.
Laudate eum rotatiles
Tot orbium compagines,
Et unda longe celſior
Campis nitentis aeris.
Huic cuncta laudes dicite,
Numenque cuncta pangite
Quod cuncta nutu condidit,
Et cuncta nutu ſuſtinet;
Fixitque firmo cardine,
Ne vi ſenecta corruant;
Certiſque vinxit legibus,
Quas tranſgredi non audeant.
Laudate Dominum ſub ſpecus
Terræ dracones abditi.

Et vaſta cete, quæ ſinus
Ponti repoſtos finditis.
Ignes, niues, & grandines,
Vaporque & auræ ſpiritus,
Ad iuſſa Domini mobiles
Circumrotantes turbines.
Colles feraces, & feri
Montes, & omnes arbores,
Seu montibus rigeſcitis;
Seu cultibus manſueſcitis;
Mites feræq; beſtiæ,
Humiq; lente reptiles,
Et quæ liquentes aeris
Campos volando carpitis;
Reges & orbis Præſides,
Et nationes liberæ,
Et pauperi plebeculæ
Qui ius ab alto dicitis;
Et vos iuuenta florea
Læti puelli & virgines,
Seneſq; vitæ in vltimo
Iamiam exituri limine,
Laudate Dominum, numini
Sit eius vni gloria,
Vnumque noſcat omnium
Cælum ſolumque Principem.

Hunc omne in æuum laudibus
Propago tollat Iſaci:
Sibi dicatam qui bonis
Gentem beauit omnibus.

FINIS.

1008313